57.170

ROBERT TROUP PAINE
TO
HARVARD COLLEGE.
A LEGACY
IN HIS NAME BEING APPLIED
IN PART TO AN ANNUAL INCREASE
OF THE LIBRARY

Received 9 April, 1879.

HARVARD
MEDICAL LIBRARY

VE RI TAS

VERITATEM PER MEDICINAM QUÆRAMUS

IN THE
Francis A. Countway
Library of Medicine
BOSTON

CHIRURGIÆ THEORETICÆ PRÆLECTIONES

AUCTORE

FRANCISCO BAGNO

IN USUM AUDITORII SUI.

Robert Troup's Pres to Harvard College

NEAPOLI MDCCLXXXIX.

Publica Auctoritate.

1879, April 9.
Paine bequest.

PRÆLOQUIUM.

SI quis veſtrum, adoleſcentes, in animum induxerit medicinam omnibus ſuis numeris abſolutam diſcere, & quantum homini convenit, reipublicæ prodeſſe, oportet, ut externos morbos, ea, qua par eſt diligentia, & labore evidenter cognoſcat. Diu apud priſcos medicos fuit ſemper ſtatutum, medicinam tres in partes diſpeſci. Harum altera eſt, quæ victu, altera, quæ medicamentis, tertia, quæ manu morbos curat. Morbi enim, qui manu tantum curari debent nonniſi externi, quibus manuum acceſſus datur, eſſe debent. Nec verum eſt, hos morbos chirurgis tantum eſſe committendos. Nam præterquamquod ſummorum viro-

rum & Veterum & Recentiorum exemplo diſcimus (Hippocrates, & Boerhaavius, ut de ceteris ſileam, inter veteres, & neotericos duo ſummi viri, medicinæque parentes de vulneribus, ulceribus, fiſtulis, fracturis, & luxationibus pulcherrima poſteris reliquerunt) morbos externos & internos ſimul eſſe conjungendos; ſed & quoque certum eſt externorum morborum cognitionem ad internos morbos intelligendos non parvam opem conferre. Quis enim denegare poteſt externarum partium inflammationem, atque varios ejus exitus facile a nobis intelligi, & ex hac cognitione latentium partium inflammationem, omniumque ejus mutationum notionem facilem derivare? Quis non videt vulneris externæ partis phænomena? Ex hac cognitione internarum partium vulnerum accidentia facile percipiet.

Hæc cum vera indubiaque ſint, jam videtis adoleſcentes ad optimam praxis medicæ perfectionem auſpicandam veſtra neceſſario intereſſe chirurgiæ theoreticæ aptam cognitionem. Omnes morbi, qui externas partes invadere poſſunt, reducun-

euntur ad tumores, ad vulnera, ulcera, luxationes, & fracturas. Has affectiones objectum chirurgiæ eſſe nemo ignorat. His morbis occurri debet medicamentorum applicatione, deligatione membrorum affectorum, inciſione, uſtione, diſtractione &c. Hæc quidem medicus manus exercitio adhibere debet. Quapropter chirurgia eſt illa medicinæ pars, quæ dicitur manuaria*, eaque ipſi Mundo coæva apud Ægyptios, & Græcos multum exculta, a Latinis, & Arabibus in certam formam redacta fuit. Ea apud Gallos, & Italos maximum perfectionis gradum adepta eſt. Idque eo vel maxime accidit, quoniam ſcilicet anatomes ſtudia maximopere exculta ſunt. Sic verum ſemper eſt, medicum chirurgiam exercentem callere neceſſario debere practicam, & exactam humani corporis fabricæ cognitionem. Hac quidem habita cognitione, quæ vitia in externis partibus facta ſunt, facile medicus emendare & tollere valet. Ceterum medicina externos morbos curans ſemper facilior eſt illa, quæ internis morbis medetur. Ut autem vobis adoleſcentes*

facilis pateat aditus ad hanc neceſſariam medicinæ partem addiſcendam, operæ pretium putavimus, eam quinque in ſectiones diſpeſcere, in quarum prima de tumoribus ediſſeremus, in altera de vulneribus, in tertia de ulceribus, in quarta de luxationibus, in quinta demum de fracturis verba faciemus. Vos interim ea qua par eſt diligentia & labore, ut in ceteras, ita & in hanc neceſſariam medicinæ partem incumbite; ut dum omnibus numeris cum ſumma animi delectatione vos videmus abſolutos, ita pro publico bono optimos medicos evaſiſſe fateamur.

CHI-

CHIRURGIÆ THEORETICÆ

SECTIO I.

DE TUMORIBUS.

ARTICULUS I.

Tumores generatim accepti.

§. 1. SI cujuſcumque partis præter naturam elevatio accidat, quæ aut tantum mutat formam, aut & officia lædat, tunc morbus eſt, qui dicitur *tumor*. Hippocrati dicebatur *œdema*; Arabibus *apoſtema*, ſive *abſceſſus* audiebat. Ut autem qualibet in parte tumor oriatur, oportet, ut affluxu minor evadat ſemper refluxus: Ex quo fit, ut ſenſim ſenſimque collectis humoribus ſolidæ partes ſenſibiliter diſtenduntur præter naturam, fietque tumor. Hujuſmodi affectus aut ex generali, aut ex peculiari cauſa oriri poteſt. Generalis tumorum cauſa juxta noſtrum cl- *Tumorum indoles, & cauſa.*

cl. Aurelium Severinum (*a*) eſt cachexia, ſcilicet ſtatus ille humorum lentus, & craſſus, atque ſolidorum atonia, in quo facile accidit eorundem mora, & ſolidarum partium diſtenſio. Si vero fiat quadam in parte debilitas, fibrarum compreſſio, ligatura, & his ſimile, aut totaliter tollens, aut quodammodo impediens debitum humorum refluxum neceſſario accidit eorundem ſtagnatio, ſtagnationem ſequitur diſtenſio, diſtenſionem elevatio, fietque tumor. Hinc patet, quod ſicuti cauſæ generales, veluti ciborum euchimorum, pinguium, digeſtionique ineptorum abuſus, aquarum ſtagnantium potiones, aëris cænoſi & paluſtris incolatus, nimia corporis quies, & his ſimilia, viſcerum abdominalium obſtructionibus, indeque cachexiæ, & tumoribus cauſam occaſionalem, ſed generalem exhibeant; ita datæ partis vitioſa fibrarum, & vaſorum directio, textura, debilitatus tonus, mutata inter affluxum, & reflu-

(a) De abſceſſ. recundit. nat. p. 67.

fluxum directio, atque id genus alia poſſunt tumorum cauſam peculiarem efficere. Sic ſi quodcumque vas ligamus, jam ſupra ligaturam oritur tumor. Id accidit, ex eo, quod per ligaturam impeditur humorum refluxus, dum affluxus liberus eſt. Stimulus in hunc quoque venit cenſum. Ita de reliquis ſentiendum eſt cauſis.

§. 2. Tumorum variæ ſunt ſpecies & pro ratione ſedis, & pro ratione materiæ contentæ. Pro ratione ſedis alii ſunt *interni*, alii *externi*. Alii arteriarum, alii venarum, alii membranarum, alii muſculorum, alii oſſium. Quidam in trunco, quidam in extremitatibus accidunt. Ratione materiæ contentæ alii ſunt *ſanguinei*, alii *lymphatici*. Alii continent materiem duram & dolent, & *ſtrumoſi* dicuntur, alii ſervant duram materiam, & non dolent, & ſunt *ſcyrrhoſi*. Si continent carnem ſunt *ſarcomatoſi*, ſi pus ſunt *abſceſſus*, ſi aërem ſunt *flatulenti*. Hos græci vocant *emphyſemata*. Si autem, quod continent *tumores* in quadam morboſa veſte, quam græ- *Tumorum variæ ſpecies.*

ci vocant cyſtim, ſervatur, tunc *cyſtici* appellantur, iique trium ſunt ſpecierum. Nimirum *ſteatomata*, *meliceride*s, *atheromataque* vocantur. Primi ſunt ii, qui ſebaceam ſervant materiem, alteri, qui continent melleam veluti ſubſtantiam. Tertii ſervant materiam pulti ſimilem modo ſimplicem, modo aliis concretionibus erroneis intermixtam. Ex hac diverſa tumorum ſpecie varia inſtitui poteſt prognoſis. Nam aut tumor ſolvitur, aut in abſceſſum, aut in gangrænam, aut in ſcyrrhum abit. Pro generali tumorum curatione ſedulo advertendum num incipiens, num factus ſit. Primo enim in caſu duplex indicatio datur, quarum altera affluentis humoris averſionem tentamus, altera, qua collectam evacuamus materiam. Primæ indicationi ſatisfaciendum eſt remediis evacuantibus, & repellentibus. Evacuantia varia eſſe poſſunt pro varia tumoris ſpecie. Si v. g. tumor fiat a multa ſanguinis copia phlebotomia optima erit, eaque vel per ferrum, vel per cucurbitas ſcarificatas, vel per hy-

hyrundines celebranda. Si vero tumor ſit a cacochymia cathartica, diuretica, & diaphoretica adhibenda ſunt. Repellentia vero tunc adhibere præſtat, cum incipiente tumore tentandum ſit, ne humor ulterius influet, & cumuletur. Hiſce repellentibus poteſt robur ſolidis conciliari, ut aucta eorundem oſcillatione diſſipetur humorum affluxus. Hæc autem remedia nonniſi cum ſumma attentione adhiberi debent. Tuta ſemper non ſunt repellentia tumoribus in cavitatibus trunci ortis adplicata. Subeſt timor, ne diſſipata materie in tumore contenta fiat metaſtaſis in internis partibus. Semper ſunt ſuſpecta, immo & mala repellentia adhibita contra venenatos, & peſtilentes tumores, veluti eſt bubo gallicus, peſtilens, anthrax malignus &c. In criticis tumoribus eadem cautio ſervari debet. Alteram indicationem abſolvunt remedia reſolventia, dummodo tumoris materies reſolutioni eſt apta. Quoties reſolvi nequit ſuppurantibus eſt tractanda. Demum ferro & igne, ſi ſuppura-

ra.

ratio obtineri nequit, tractandus eſt tumor, juxta Hippocratis mentem, qui ait (b) *quoſcumque morbos medicamentum non ſanat, ſanat ferrum, quos non ſanat ferrum ignis ſanat, quos vero ignis non ſanat, hos ſanari non poſſe putato.*

ARTICULUS II.

Inflammatio.

Inflammatio quibus eſt dignoſcenda ſignis. §. 3. DUm alicujus partis diſtenſionem, tumefactionemque præter naturam facit collectus ſanguis, tunc natus tumor vocatur *ſanguineus.* Hujuſmodi tumor ut plurimum varius eſſe poteſt pro varia ratione, qua ſanguis colligitur ad ipſum efficiendum. Si ſanguis cum fervore, impetu, & rubore tumefactæ carnis ſtagnat, tunc fit tumor, qui vocatur *inflammatorius.* Si vero in cellulari colligitur ſanguis, & ſine fervore tumor apparet, tunc *ecchymoſis* eſt. Si in venis moratur, & col-

(b) Lib. aphor. 7. n. 74.

& colligitur ſanguis, & tumor ſit absque ulla pulſatione tunc eſt *varix*, & ſi ad inſtar hernioſi tumoris intra arterias tumor maxime pulſans efficitur, tunc eſt *aneuryſma &c.* Inter omnes vero hos recenſitos tumores princeps eſt ille, qui dicitur inflammatio, de qua, quoad inſtitutionum chirurgicarum ſtricta patitur ratio, dicendum nobis eſt. Inflammatio ab igne nomen obtinuit ex ratione, qua inter præcipua ſymptomata inflammationem comitantia principem locum obtinet ille moleſtus uſtionis, caloriſque ſenſus, quem excitant partes inflammatæ. Ita Græcis dicta eſt φλεγμον, φλογωσις. Et Galenus (c) vocabat inflammationem quemcumque tumorem cum igneo ardore copulatum.

§. 4. Ut autem inflammatio conſtituatur requiritur, ut ſit tumor alicujus partis præternaturalis conjunctus cum colore intenſe rubro ab digiti preſſione vix enaneſcente, cum do- *Inflammationis quænam ſunt inſeparabilia ſymptomata.*

(c) Comm. in lib. de Fract. Hipp. Chart. T. 12. p. 230.

dolore fixo, & pulſatorio, cum calore urente, cum duritie, & ut plurimum cum comite febri (*d*). Ad hujuſmodi excitandum tumorem juxta Boerhaavii mentem requiri obſtructionem ſanguinis in minimis vaſis arterioſis, & auctum contra obſtructionem retrovenientis ſanguinis impetum nonnemo hodie ſcit. Hanc præceptoris ſui amantiſſimi ſententiam firmis ratio-

(d) Advertatis oportet adoleſcentes febrim inflammationi ut plurimum comitem eſſe ideo a nobis dictum eſſe, ut non credatis dari inflammationem non poſſe abſque febri. Nimirum variæ ſunt & quidem vehementes inflammationes parenchimata occupantes, cum quibus aut nulla aut parva admodum comitatur febris. Et ipſæ venenatæ inflammationes, quas frequenter excipit gangræna, non raro febri carent. Sed & iterum advertatis oportet febres inflammationem comitantes non ſemper eſſe ſymptomaticas, quia dari poteſt eſſentialis febris orta ab quacumque cauſa fluida & ſolida lædere apta, quæ inflammationem generare valet. Sic epidemicæ aliquando putridæ febres pleuritidem generant. Hæ febres abſque ulla ab inflammatione dependentia curſum abſolvunt ſuum. Rationem vero, qua intelligitur cum inflammatione ut plurimum comitari febrim infra audietis.

tionibus ſubſtinere nititur illuſtris Commentator Gerardus Swietenus (*e*). Adverſus hujuſmodi doctrinam mirum quanta in medium profert Jacobus Winterlius (*f*) Hujus veſtigiis ſtetere nonnulli recentiores putantes inflammationem nil aliud eſſe, niſi merum nervorum arterias circumambientium ſtimulum. Conjectura in hunc modum effingitur. In inflammatione non eſt impeditus humorum refluxus, ſed eſt auctus eorundem affluxus. Id non in toto corpore, ſed tantum in parte affecta accidit. Sed ſi arteriarum motus pendet a nervis, neceſſario ſequitur auctam nervorum irritationem efficere intentiorem arteriarum oſcillationem. Ab hujuſmodi aucta oſcillatione augetur humorum fluxus, quem majori in copia in ſpatia celluloſa transfundi debere ſuadet ratio, qua ſcimus vias perſpirationis ingredi ſemper humores per vaſa arterioſa

(e) Com. aph. 375. T. 2.

(f) Diſſ. propon. nov. inflam. theor. p. 12. ad 71.

ſa facti concitatiores. At cauſa quæcumque ſit irritans ingreditur cellularem arterias circumambientem, ſicque nervoſæ habenæ irritentur neceſſe eſt. Quando ita afficiuntur datæ partis vaſa arterioſa & tumor, & calor, & dolor, ideſt inflammatio oritur, ejusque ſequelæ neceſſario accidere debent.

Quænam inſeparabilis inflammationis vita.

§.5. Quantum autem fundamentum hujuſmodi conjecturæ pro inflammationis theoria habere debent elucet ex ingenua relatione inflammationem comitantium morboſorum accidentium. Dum quædam pars inflammatione corripi debet incipit habere quendam pruriginis, caloris, puncturæque ſenſum, quem acriorem reddere ſolet aliquando importuna manus ſcalptura. Huic ſenſui accedit ardor, tumor, & rubor intenſe flammeus, & hunc flammeum calorem duritiem, & tenſionem percipit inflammatam partem tangens manus. Poſt hæc incipit in tumore ſingularis pulſationis ſpecies, quæ doloroſo quodam ictu ceteroquin recurrente definiri ſolet. Hujuſmodi pulſatio-

tiones eo ſunt vehementiores, crebrioreſque, quo major eſt inflammatio, & ſuo termino propinquior. Nec rarum eſt videre ſuperficiem tumoris madore perfuſam. Hæc ſymptomata ad incrementi terminum perducta ita ſolent aliquantiſper durare. Quando incipit vel inſperata omnium horum ſymptomatum imminutio apparere, & ſenſim ſenſimque tumor evaneſcit, parſque affecta ad ſuum priſtinum redit habitum. Hæc dicitur *inflammationis ſolutio*. Quod ſi inflammationis ſymptomata non minui, ſed conſtanti impetu ſemper augeri obſervantur, præſertim dolor, febris, & pulſationes tamquam tumorem transverberantes, tunc alius expectandus eſt inflammationis exitus. Nimirum in medio durioris tumoris incipit apparere color flavus, pallidiorque & quædam mollities, ac fluctuatio. Tunc acuminata fit illa tumoris pars, & ſi tenuata ſuppoſita cute ſponte, vel ferro aperitur exit humor ſubalbidus, lente fluens, fœtidus; pulti ſimilis, qui dicitur *pus*. Hoc educto aut pe-

nitus quieſcunt, aut inſigniter minuuntur inflammationis moleſtiæ. Hæc eſt *inflammationis ſuppuratio*. Quod ſi neque ſolvitur, neque ſuppuratur inflammatio, & tamquam deponeret ruborem, dolorem, pulſationem, febrimque, ſenſim ſenſimque adipiſcitur duritiem, quæ facta à materia tacita, inerti, viſcidaque in tumorem remanente dicitur *ſcyrrhus*. Nec hi ſunt omnes inflammationis exitus. Unus eſt iſque omnium teterrimus, qui vel ſoli parti, vel toto corpori mortem infert. Nimirum in medio ſævientium ſymptomatum curſu ſtatim omnia miteſcunt, partis color fit plumbeus, dolor abeſt, & non raro cuticula bullis inſpergitur. Inde plumbeus color in nigrum commutatur, pulſus evadunt languidi, & exiles, vires corporis deficiunt, morſque præ foribus eſt. His teterrimus inflammationis exitus dicitur *gangræna*. Et ſi partes ad uſque oſſa conſumi videntur tunc fit ſphacelus.

Obſtructio, & ſtimulus pro inflammatione requiritur.

§. 6. Hæc eſt tota inflammationis vita. Ad quam rite intelligendam haud

haud denegare debemus primo requiri id, quod facit tumorem. Cum vero nulla alia materies eſſe poteſt huic tumori generando apta, niſi ſanguis, oportet, ut ſtatuamus globulos ſanguinis intra ſuos canales hærere. Sanguis autem ſtagnare poteſt & intra canales arterioſos, & intra venosos. Cum vero ſanguis per canales arterioſos ſemper feratur per lumen e lato in arctum ductum, facile credimus ipſum poſſe ſtagnare data qualicumque cauſa, aut in ſolidis, aut in fluidis agente effluxum ſanguinis impediente. Nam ad efficiendum tumorem ſemper hanc cauſam requiri nuper a nobis dictum eſt. Et arteriæ ob arctiorem texturam ab hærenti ſanguine tantam poſſunt recipere irritationem, quanta requiritur ad efficiendum illum dolorem, qui neceſſario in inflammatione exſtat. Venæ huic agendæ inflammationis fabulæ ob laxiorem texturam, obque earundem diametrum ab ſtricto in latum ſemper tendentem impares ſunt. Neque ſola globulorum obſtructio intra arte-

rias tantam ſævientium ſymptomatum multitudinem parere poteſt abſque comite forti ſtimulo, quem ad conſtituendam inflammationem neceſſario requiri cum cordatiorum practicorum conſenſu, ſuffragante ratione & experientia aſſerimus (g). Semper autem

(g) Quæ momenta proponit Winterlius nuper citatus adverſus obſtructionem pro inflammatione neceſſariam reducuntur ad ſequentia. I. Auctum velocitatis gradum non convenire poſſe cum mora ſanguinis. II. Cordis vires per enatam reſiſtentiam ab obſtructione non poſſe intendi. III. Obſtructionem affrictum, ex quo fieri inflammationem vulgo fertur, parere non poſſe. IV. Etiam ſi augeatur retrovenientium humorum impetus, hic non contra aggerem impenditur, ſed per lateralia vaſa, aucto ſanguinis motu, diſperditur. V. Auctam cordis vim non poſſe ad uſque minima vaſcula tam a fonte vitæ diſſita pervenire. VI. Tumorem non poſſe fieri ab hac aucta retrovenientium humorum celeritate, quæ valde eſt minima. VII. tandem neque ſymptomata, neque ipſa curandæ inflammationis methodus cum obſtructione rite collimat. Hujuſmodi propoſitiones quantis validis rationibus, & claris demonſtrationibus probare nititur illuſtris auctor obſervare poteſtis perlegentes cit. diſſert. Hiſce ſingulis pro-

tem ubi adeſt ſtimulus adeſt & retrovenientium humorum affluxus. Ita

 ab

propoſitionibus velle ſigillatim reſpondere vetat ſtricta inſtitutionum chirurgicarum ratio. Tantum vero probare conabimur pro inflammatione requiri obſtructionem, & ſtimulum, id dignitate rei exigente. Poſſe intra vaſa, & potiſſimum arterioſa fieri ſanguinis moram, & ſtagnationem definiri poteſt vel ſola conſideratione auctæ globulorum ſanguinis denſitatis, unioniſque. Hæc globulorum unio fit haud raro per cauſas majorem phlogiſti quantitatem in ſanguine determinantes. Ex cohibita perſpiratione v. g. ſanguis phlogiſti majori quantitate oneratur. Ex hac cauſa frequenter fieri inflammationes paſſim obſervamus. Nec denegari poteſt arteriarum mox cum venis anaſtomoſim facientium reliquis partibus arctiorem fieri diametrum. In hanc ita arctatam diametrum ſanguinis globulos ſolito denſiores factos hærere poſſe facili conjectura aſſerimus. Si ſanguis moram in hæc vaſcula faciens nulla ſtimulandi vi gaudet, neque retrovenientium humorum impetus adaugetur, neque creſcunt arteriolarum contractiones adverſus impactos ſanguinis globulos. Si vero ſanguis ſtimulandi & irritandi vi præditus vaſa arterioſa laceſſit, ſane hæc vaſcula eo magis contrahuntur, quo majori ſtimulo afficiuntur. Irritabilitas muſculoſæ tunicæ intrinſeca, nervorum comitatus, quo arteriæ

ad

ab ſimplici obſtructione differt inflammatio. In obſtructione enim nullum

adeſ-

---

ad uſque ultimos ſuos fines ornantur contractionis adauctæ cauſam admoto ſtimulo faciunt. Cum vero ſive ob communicatam per membranas cordi irritationem, ſive, quod rectius, per perturbatum fluidi nervei motum ad cor deſcendat major ſpirituum quantitas (prævidens natura ſolo aucto cordis motu diſſolvi debere adpoſitas circulationi humorum reſiſtentias, majorem copiam in cor fluidi nervei quantitatem determinat, ut ita ipſius contractiones augeantur), augetur cum cordis, & arteriarum auctis oſcillationibus, ſanguinis motus. Dato itaque in quadam parte ſtimulo, & data majori arteriarum ipſius partis contractione, ex lege derivationis confluat in ipſam partem major humorum quantitas neceſſe eſt. Ubi ſtimulus, ibi majorem humorum affluxum eſſe vulgari medicorum adagium eſt. Si meo anulari digito ſano adplicare volo acum, quæ infixa in digiti apicem magnum excitat dolorem. Statim dolori accedit tumor ruber. Tumorem pulſatio, febris, inflammatioque excipit. Quæro nunc cur dum meus digitus ſanus eſt mox corripitur inflammatione poſt adplicatum extrinſece ſtimulum? Cur poſt ſtimulum oritur tumor cum omnibus inflammationis notis, quæ numquam diſſipantur, niſi remoto ſtimulo? Credimus majori copia per ſtimulum vocari ſangui-

adeſſe ſtimulum jam omnes ſcimus. Jecoris, aut alius cujuſcumque viſce-

ris

guinem in digitum, & facto refluxu major affluxus pars in tumorem elevatur. Et hujuſmodi aucta ſanguinis quantitas nonniſi per arterias determinatur. Nec in parte hac determinari poteſt hæc magna humorum quantitas, niſi augeantur cordis, & reliquarum arteriarum oſcillationes. Fingamus itaque hunc ſtimulum fieri ab ſanguinis globulis hærentibus intra arteriarum terminos. Quid vetat, ut admittamus ſimilem ſic fieri auctum humorum retrovenientium impetum, & collecta majori ſanguinis copia, oriri inflammationem? Sane rem penſiculatius perpendenti innoteſcit auctam arteriarum contractionem efficere auctum humorum motum, & globuli ſanguinis retrovenientes urgent globulos antecedentes jam impactos intra anguſtiſſimas arteriarum diametros. Sed dum jam hærentes globuli impelluntur ſemper per anguſtiores diametros, accidit, ut quo magis impellantur eo magis contra arteriarum parietes adigantur. Hinc quo diſtenduntur vaſa eo magis creſcit dolor, & augentur ipſorum vaſorum contractiones. Et primis novi ſemper adplicati globuli tumor creſcit in ratione auctæ velocitatis humorum, & aucti ſtimuli partis inflammatæ. Hujus autem inflammatæ partis contentio efficit, ut ſi globuli ab arteriis in venas tranſire non poſſint per alia

ris obſtructio tunc in inflammationem convertitur, cum obſtructæ particulæ jam irritare, & laceſſere incipiunt.

Dari inflammationem per errorem loci oſtenditur.

§. 7. Et quemadmodum verum ſit majorem irritationem poſſe ſolidis inferri ab ſanguinis globulis acri, ſalſa, putrida, aut quacumque alia acrimonia infectis, ita haud denegare poſ-

arteriarum extrema viam tentantes cellularem ingrediuntur. Congeſtus itaque ſanguis intra cellularem, & tumorem faciens comprimit quodammodo vicina vaſa, quo fit, ut deficiat ex nova hac orta cauſa ſanguinis refluxus. Sic ſemper verum eſt in magnas inflammationes ſanguinem colligi debere in ſpatia cellularia. Ex quibus facile patet ratio tumoris, caloris, ruboris, pulſationis, & febris inflammationes ut plurimum comitantis. Nimirum ab diſtensione ſolidarum partium, & potiſſimum cellularis fit tumor. Dolor oritur a nervearum partium diſtractione, quam ſubſtinent arteriæ ab humoribus impulſæ. Rubor ab congeſta magna globulorum fit quantitate. Et febris oritur ab ſpirituum perturbato motu ab nervorum irritatione facto cor afficiente. Et pulſationes ſunt ab magnis arteriarum contractionibus ſtimuli cauſam ab ipſis eliminare molientibus. Sic itaque evidenter patet pro inflammatione requiri & ſanguinis obſtructionem, & ſtimulum.

poſſumus ſolam vehementem arteriarum diſtractionem ab aucto humorum laterali impetu talem excitare poſſe irritationem, qualis neceſſaria eſt pariendæ inflammationi. Nec tam vana eſt Boerhaavii hypotheſis, qua creditur poſſe per errorem loci ferri inflammationem. Nam ſi datur decreſcentium vaſorum ſeries, poteſt in vas non ſuum, nempe in lymphaticum ingredi ſanguinis globulus. Hujuſmodi determinatio globuli uſque dum non inferat irritationem lymphatico canali nulla excitatur inflammatio. Irritationem poteſt parere aut magna parietum canalium lymphaticorum diſtractio, aut, quod veroſimilius, globuli per moram, & loci calorem degeneratio. Humores enim noſtri potiſſimum oleoſi, quocumque modo ſiſtunt, circuitumque abſolvere non poſſunt abeunt in degenerationem, & indolem alcaleſcentem irritationi pariendæ opportunam concipiunt. Si itaque intra vaſa lymphatica globuli ſanguinis morantur, jam irritari poſſunt hæc vaſcula, & aucto re-

retrovenientium humorum impetu, factoque adverſus irreſolubilem obſtaculum magno impulſu inflammatio oriatur neceſſe eſt. Globuli ſanguinis in lymphatica vaſa ingredi poſſunt, aut ob auctam laxitatem ipſorum vaſorum, manente eadem globulorum velocitate, aut aucto liquidi impulſi motu, reſtat eadem vaſorum firmitas. Et ſi binæ hæ cauſæ concurrant majori cum ratione phænomenon accidet. Re quidem vera *ſi vapori tepidæ aquæ pars noſtri corporis exponatur, tumebit & rubebit ſolito magis ob ſanguinem rubrum minora vaſa ingreſſum. Et poſt validum cursum videmus totam externam cutim rubere ob ſanguinem rubrum aliena ingreſſum vaſa* (*h*). Nec ſemper hujuſmodi ſanguinis in aliena vaſa ingreſſum excipit inflammatio. Nam ſæpiſſime obſervamus poſt auctum circulatorium motum univerſam cutim jam rubram factam ob ſanguinis globulos in mino-

(h) Verba ſunt Cl. Swieteni in comment. aphor. 378. T. II. p. 128.

nora vaſa ingreſſos ſenſim ſenſimque redire ad priſtinum ſui coloris ſtatum, ſi corpus in convenienti temperato loco moratur. Sed tantum inflammatio oritur ſi factam per loci errorem globulorum ſtagnationem comitatur ſtimulus (*i*).

§. 8.

(i) Adverſus hanc a Boerhaavio propoſitam per loci errorem inflammationem Hallerus haud ſpernenda proponit rationum momenta. Ait T. II. S. 1. lib. 2. p. 77. in inflammato digito totus rubet digitus, totaque rubet papula varioloſa, nec albi apparent circelli. Hujuſmodi inflammatio per loci errorem poteſt convenire cum vinculo, quod numquam parit inflammationem. Nam ſanguis dum pervenit ad ligatum locum poſt aliquot excitatas pulſationes avertitur a vinculo, & vicina libera vaſa ingreditur. Ortam obſtructionem non urget veniens a tergo ſanguis, ſed liber aufugit in lateralia vaſa. Moles globulorum magna non poteſt totum excurrere vas lymphaticum, in quod nulla contentionis regula eſſe poteſt pro apta morbi inflammatorii origine. Adde his ineptitudinem cruoris per arterias ducti lymphatica vaſcula ingredi valentis. Arteriæ enim in viſceribus potiſſimum cum vaſis excretoriis patentibus communicant, nec cum intermediis vaſis lymphaticis conjunguntur, prout ipſæ indicant coloratæ in-

je-

Variorum exituum inflammationis redditur ratio. §. 8. Quod vero ſpectat ad varios inflammationis exitus intelligendos, eos ab expoſita inflammationis theoria

jectiones. At hiſce argumentis non eſt difficile reſpondere. Totus digitus, totaque papula varioloſa abſque albis circellis ideo ſemper rubet, quod per factum ſanguinis affluxum tota lymphatica vaſcula rubore perfunduntur. Nec valet cum cinculo inflammationis per errorem loci factæ comparatio. Nam in cinculo nulla, in inflammatione omnis irritatio ſupponitur. Ex qua irritatione augeri contra adjectam reſiſtentiam retrovenientium humorum impetum ſemper certum eſt. Hinc ſanguis per lateralia vaſa ire non aptus urget factum obſtaculum, & omnia inflammationis phænomena, ut nuper dicebamus, oriuntur. Neque verum eſt globulos ſanguinis non poſſe ingredi vaſa lymphatica. Nam aut naturali citatior fiat globulorum motus, aut naturali laxior fiat initium lymphaticorum vaſorum, aut uterque accidat, poſſunt globuli cruoris ingredi aliena minora vaſa. Tandem & omnino falſum eſt vaſa arterioſa non poſſe cum lymphaticis communicare. Id ad oculum oſtendunt obſervationes. Injectis enim magno impetu coloratis humoribus intra arterioſa vaſa lymphaticos canales ingredi ut plurimum apparet. Ergo dari poſſe per loci errorem inflammationem haud vano ratiocinio ſtatuere poſſumus.

ria facile vos percipere poteſtis: Nimirum ſi per auctam vim vitæ tanta in fluidis tenuatio accidere poſſet, tantaque vaſorum minimorum diſtenſio, ut ſenſim ſenſimque globuli ſanguinis urgeantur in venarum oſcula, tunc cum ſymptomatum omnium remiſſione reſolvitur inflammatio. Hoc quidem in caſu tumoris moles decreſcere incipit, color affectæ partis non apparet tam intenſe ruber, ſed ſenſim ad albedinem accedit. Dolor imminuitur, febris mitior evadit, ceſſantque pulſationes. Hiſce apparentibus dicendum vobis eſt inflammationem ſolutam iri, & materiam obſtructam, acrem, irritantemque in venas transfuſam, tamquam in ampliores canales ductam libere in gyrum ferri, ſicque vitalium virium actione aut commutari in indolem inquilinorum humorum, aut per quaſdam excretorias vias e corpore excerni. Neque denegare poſſumus inflammationis materiam a primo loco remotam tendere ad interiores partes, ſicque facta mataſtaſi novæ oriantur morbi pha-

phaſes. Quod ſi obſtructa materies neque tenuari poteſt, neque vaſa arterioſa ita diſtendi queant, ut fiat inflammationis reſolutio, tunc accidere poteſt, ut partim per ſtimulum vaſa roſionem concipiant, partim ſe ipſa deſtruantur, dum contra obſtructam materiam intenduntur. Sicque poſt auctum dolorem, calorem, rigorem, auctamque febrim, poſtque diſruptos canales effunditur humor circa materiam inflammationis. Itaque confuſio quædam & commixtio accidit plurimarum rerum, nempe materiæ depoſitæ lymphaticæ, ramentorum vaſculorum deſtructorum, ſanguinis effuſi; celluloſarum membranarum calore nimio, & acredine corruptarum. Hæc miſcela fit in cavo parato ab ſolidarum partium roſione, & circumdato ab ambitu inflammatorio. In quo cavo tamquam in hypochauſto tam heterogenea mixta materies coquitur, & veluti matureſcit, vertiturque in albam, glutinoſam, pulti ſimilem ſubſtantiam, irritationis vi haud expertem, quæ vocatur *pus*. Hoc jam facto

ćto pure mitiora evadunt inflammationis ſymptomata, quod apte nimis expreſſit Hippocrates, qui dicit (*k*) *dum pus conficitur rigores, dolores, & febres accidunt, quam confećto pure.*

§ 9. Hujuſmodi inflammationis exitus quemadmodum indicat victricem naturam, & ita haud raro feliciter curatur inflammatio, ſic debilitas virium affert inflammatæ materiei degenerationem. Numquam verum pus generant debiles homines, & moribundis cum ulcerum exſiccatione, deficit puris jugis generatio. Sed & datur alius erroneus inflammationis exitus, quando ſcilicet per indolem materiæ inflammatæ aut ſcyrrhus, aut gangræna fit. Nimirum ſi per jugem retrovenientium humorum impetum talis conſtituatur in hærentibus humoribus tenuvium particularum difflatio, ut ſenſim ſenſimque collectis craſſioribus particulis hæ nec ſtimulandi vi magna amplius præditæ ſunt, nec reſolvi, nec ſuppurari poſſunt. Ex quo *Id ipſum oſtenditur.*

(k) Lib. aphor. 2, n. 72.

quo factum eſt, ut tumor factus in dies ſemper durior partis munia quodammodo lædens dici ſoleat ſcyrrhus. Nec hic eſt teterrimus inflammationis exitus. Nam haud raro ſive per indolem venenatam materiei inflammatæ, ſive per auctum inſigniter retrourgentium humorum impetum vaſa ſimul & ſemel deſtruentium, ſive per utrumque vitium, ſive per aliam ignotam cauſam deficit in inflammata parte vita, & omnia cum morte commutantur. Hinc patet neque ſemper fieri gangrænam per indolem venenatam, neque ſemper fieri per adauctum vehementer humorum impetum. Nam quæ pars moritur veluti per deficientem virium actionem, quemadmodum in moribundis, in maligna febri affectis, inque hydropicis &c. accidit, tunc gangræna eſt aut per venenatam cauſam vitæ actionem in data parte deſtruentem, aut per ſpontaneum vitæ defectum. Quando vero inflammata pars vehementi ſtimulo afficitur, quem ſequitur dolor maximus, maxima febris, ruboris intenſe aucti, &

ad

ad livorem vergentis aſpectus, ardor ſummus &c. tunc ſimul & ſemel deſtrui poſſunt vaſcula, & nervi, quibus partium vita fovetur, & ſubſtinetur, tuncque gangrænam fieri per auctum nimis humorum retrourgentium impetum facile adfirmare poſſumus. Sive per hanc, ſive per illam cauſam gangræna fiat, ſemper verum eſt peſſimæ indolis morbum ſuſcitari, quo non modo principalis partis mors conſtituitur, ſed tamquam per mortiferam venenatam cauſam intra humores impactos enaſcitur vicinarum partium, indeque totius corporis mortificatio. Ea eſt gangrænoſæ materiæ indoles, ut quas tangit partes vicinas vitali influxu orbatas reddat. Et ſi hujuſmodi gangrænoſa indoles carnes, membranas, ligamenta, vaſa, & nervos ad uſque oſſa conſumit, tunc cum ſummo partium fœtore, & diſſolutione conſtituitur *ſphacelus*.

§. 10. Ex quibus aperte conſtat quid medico inflammatam partem obſervanti ſit ſtatuendum. Tota ſalutis ſpes in reſolutione primum eſt collo- *Præcipua inflammationis curatio in reſolutione eſt collocanda.*

 can-

canda. Huic procurandæ ad duo potiſſimum eſt attendendum, ut ſcilicet imminuatur retrourgentium humorum impetus, & temperetur, auferaturque, ſi fieri poteſt, ſtimulus. Retrourgentium humorum impetus imminuitur potiſſimum ſanguinis miſſione. Hac quidem inſtituta deficit quantitas movendorum, deficitque ſolidis diſtendens nimis cauſa, ſicque vaſa ſedis inflammatæ in majorem contractionem adigi poſſunt, & ſtagnantes globulos ſanguinis aut tenuari, & in venas, ac vaſa inhalantia ingredi, aut retrogrado motu in ampliora ſemper vaſa ferri debere credendum eſt. Sic inflammationis reſolutio obtinetur. Ceterum vel magna medicina ſanguinis dephlogiſticationem procurans phlebotomia dicenda eſt. Hujuſmodi ſanguinis miſſionem pro rei neceſſitate modo per derivationem, modo per revulſionem, modo per detractionem procurare poteſt ſagax medicus. Numquam deſinenda eſt illa conſtans methodus temperandi phlogiſti ope medicamentorum huic operi opportunorum.

rum. Præcipuum medicamentum hujuſmodi eſt aqua, quæ non modo abſorbet phlogiſtum, ſed & diluit interiorem vaſorum ſuperficiem, attritumque, quo fieri poteſt, imminuit. Hinc frigidiuſculam aquam affatim bibendam inflammatione affectis concedimus, eamque aut nitro, aut aceto infectam exhibemus. Quantum autem & nitrum & acetum ſint efficaciſſima remedia ſanguinis dephlogiſticationem procurantia jugis experientia docet. Ipſum oxymel celeberrimum eſt hujuſmodi remedium, quod cum continuato frigidiuſculæ aquæ uſu copulare ſolemus. Et piaculum eſt in quodcumque inflammatorio morbo his carere remediis.

Sequitur inflammationis curatio.

§. 11. Numquam diluentium & temperantium remediorum uſus eſt negligendus. Serum lactis præprimis eſt laudandum, quod aut cum nitro, aut cum aceto, aut cum aqua florum ſambuci conjunctum efficax remedium contra inflammationem evadit. Et affectæ parti adplicare cum magno ægrotantium emolumento ſolemus oxy-

cratum, quo denſitas ſanguinis ſolvitur, fervens partis calor temperatur, ſicque inflammationis conditio mutari poteſt, & ad aptam reſolutionem obtinendam diſponitur. Et inflammatæ parti proximæ exterioribus ſedibus haud vano ſucceſſu adplicare ſolemus veſicans magnum, quo diſcuti, & attenuari materies impacta ſolet. Cucurbitulæ ſcarificatæ eandem opem afferre ſolent. Sed emollientia remedia utpotequæ relaxant vaſa, & reddunt vias denſis craſſiſque humoribus patentiores affectæ ſedi admovenda quoque ſunt. Sic videmus coctam malvam & copulatam, aut cum aceto, aut cum aqua Domini Goulard potentiſſimam eſſe aliquando ſolvendæ inflammationis medicinam. Neque minorem vim habet panatella in eandem aquam Goulard cocta, inflammatæque ſedi adplicata. Hoc remedio furentes inflammationes cito reſolutas non ſemel vidi. Regulam itaque ante oculos habere debetis adoleſcentes, ut quando inflammatio cum magna irritatione, ſummo ardore, ni-

nimio rubore, & multa febri conjuncta ſit ſolis diluentibus tam internis, quam externis ſit tractanda. Hoc ea ratione fieri debet, ut laxatis quodammodo vaſis, & temperato phlogiſto, ſanguinis globuli vaſa venoſa, ideſt ampliora ingredientes, inflammationis reſolutionem procuret.

Quando ſuppurat inflammatio quid faciendum.

§. 12. Nec ſemper materies inflammationis eſt apta ſolutioni ſubeundæ. Utile tunc eſſe ſolet ſuppurationem procurare. Hoc enim in caſu conturbanda eſt univerſa vitæ œconomia, & affectæ parti adplicanda ſunt remedia, quæ valent augere irritationem, & ejus reſiſtentiam imminuere. Itaque malva, lactuca, althæa, chamæmelum, & his ſimilia, in aqua multum cocta, & affectæ parti applicata, ex eo quod debilitant vaſa, & rupturæ proximiora reddunt, atque in hærentem materiam excitant majorem fervorem, ſane ſuppurationem promovere ſolent. Hæc remedia ſive ſimplicia, ſive cum panis fermento, aut materia pingui copulata tanta majori facilitate ſuppurant, quanta,

ope ipſorum remediorum major excitatur in affecta parte fermentatio. Nam ſive quod pinguia remedia poros obſtruendo impediant perſpirationem, ſive quod repleant contentam materiam majori phlogiſti quantitate, qua augetur partis affectæ calor, & irritatio, certum eſt horum applicatione promoveri ſuppurationem. Id porro ſemper verum eſt in temperatis, & non furentibus inflammationibus. In iis enim, in quibus maximopere ſæviunt ſymptomata, potiſſimum dolor, rubor, & febris, boni conſilii medicus oleoſa, & pinguia minime adminiſtrare audebit. Nam haud raro horum remediorum uſu arceſſitam partis affectæ violentam irritationem excipit gangræna. Quando autem ſive ſimpliciter emollientia, ſive cum pinguibus, & oleoſis conjuncta in formam *cataplaſmatis* adplicanda ſunt, ea ſemper calidiuſcula eſſe debent, & toties de die renovanda, quoties primum humidum, & calorem perdiderint. Nec vana eſt emplaſtrorum virtus, qua uti ſolemus in

pro-

promovenda & provocanda lenta, & frigida ſuppuratione. Horum emplaſtrorum multitudo apud pharmacopolas exſtat. Quandō in ſuppurationem converſa eſt inflammatio, tunc ſive arte, ſive natura abſceſſus fit apertura, & facilis poſt puris eductionem obtinetur curatio. Cum autem damnandus ſemper ſit exitus inflammationis aut in ſcyrrhum, aut in gangrænam, tunc ſemper duobus expoſitis curandæ inflammationis modis uti debetis.

ARTICULUS III.

Eryſipelata.

§. 13. EST eryſipelas tumor cutis planus, fuſus, cujus princeps character eſt vicina loca occupare. Nam ερω Grecis dicitur *traho* πελας *vicinum*: his vocibus componitur eryſipelas. Hujus non una eſt ſpecies. Nam medici notant *eryſipelas ſimplex*, *ſubcutaneum*, *album*, *eryſipelas ignis ſacri* notas exprimens, *Quid eryſipelas, & quænam ſunt ejus ſpecies.*

eryſipelas œdematoſum, *eryſipelatoſum œdema*, *&c.* Harum eryſipelatis ſpecierum in praxi ſemper obſervabilium notiones evidentes dare rectus inſtitutionum ordo requirit. Cauſam eryſipelatibus proximam tenuis, volatilis, acerrimus, & veluti igneus humor conſtituit, cujus ſedes eſt in loca aëri propinqua, quemadmodum eſt cutis univerſa, aut cuti ſimiles partes, nempe narium, faucium, tracheæ, & bronchiorum interna ſuperficies. Has partes eryſipelatibus obſideri docet jugis obſervatio, qua ſcimus aliquando catarrhos veluti inflammatorios harum ſedum ægros vehementer vexare (*l*), & harum affe-

(l) Cum eryſipelas præter ardoris, tenſionis, & ruboris notas, quas continet, admixtum ſæpe habeat flavum, creditum eſt ab antiquis medicis bilem acrem & volatilem factam morbi cauſam efficere. Idque eo vel maxime creditum eſt, quoniam ſcilicet eryſipelas ſimplex (hujuſmodi eryſipelas ſemper ſecum conjunctam habet flavedinem) haud longiori recurſu vexare ſoleat homines bilioſos, aut eos, quibus bilis frequenter in morboſam mu-

fectionum de loco in locum tranſitus frequens obſervatur. Quod autem pertinet ad varias eryſipelatis ſpecies, certum ſemper eſt præ ceteris ob-

mutatur indolem. Recentiores credunt potius hujuſmodi materiam eſſe ſerum ſanguinis, quod naturaliter eſt flavum. Et omnia eryſipelatis phænomena explicant ex mora acris ſeri in cutaneis vaſis facta, quapropter concurrentibus cruoris globulis in locum ſumma irritatione vexatum cum flavedine ruborem admixtum habere eryſipelas certum eſt. Hinc ex majori, aut minori cruoris, & ſeri proportione major vel minor erit cum flavedine ruboris proportio. Hoc quemadmodum verum eſſe poſſit haud tamen inficiari poſſumus tam ſerum, quam cruorem ideo ad cutem determinari, quia per venenum eryſipelatoſum volatile, acre, mobileque, & veluti igneum excitatur magnus ſtimulus in cute, quem ſequitur magnus humorum confluxus. Semper inſeperabilia eryſipelatis phænomena oſtendunt peculiaris naturæ venenum morbum facere. Et ex varia ipſius veneni activitate, vario lædendi modo per partium diverſam diſpoſitionem diverſas eryſipelatis ſpecies fieri autumamus. Et veneni eryſpelatoſi volatilitati, nec non partium, quas obſidet, nempe cellularis, & cutis conditioni debetur frequens ille tranſitus de loco in locum.

obſervabilius eſſe ſimplex eryſipelas, cujus characteres ſequentes ſunt.

Quænam ſunt ſimplicis eryſipelatis notæ.

§. 14. Accenditur febris peculiaris naturæ, quæ cum horrore incipit, & extenditur ad uſque duodecim, viginti, & triginta dies, conjuncta cum pulſu celeri, frequenti, & parum undoſo. Progrediente febri accenditur calor, qui partes ab eryſipelate invadendas ad inſtar aquæ ebullientis occupat. Quo majores & longiores ſunt horrores, eo longius ſæviuſque eryſipelas erit. Caput in omnibus eſt ſomnolentum, nec vigilat homo, niſi educto eryſipelate. Et ſi ante exitum eryſipelatis convulſiones apparent, deſinunt educto eryſipelate. Prima pars, quam occupat morbus primo relinquitur, ſecundam invaſurus. Ardor primo, inde rubor, ultimus tumor abit. Mollis eſt hic tumor, & digitorum impreſſionem facile retinet. Raro ſuppurat, & quando hunc exitum habere debet non parum elevatur facta lucidior cutis. Augetur febris, & intra tumorem ſentiuntur acerrimæ

mæ puncturæ. Nec tumor eryſipelaceus bonum, verumque pus gignit; ut plurimum ichorem fœtidum, & fluidum ſervat. Nec novum eſt videre eryſipelaceum tumorem veſiculis ſero acerrimo repletis infectum. Et ſemper malum eſt eryſipelatis ulcus, quod phagedænicum, ſive maxime corroſivum eſſe ſolet, & putredinem partis infert. Hoc tamquam conſectarium eſt eryſipelatis in ſuppurationem tendentis. Horum phænomenorum ratio pendet ex iis, quæ de eryſipelatis proxima cauſa nuper dicebamus. Quod vero ſpectat ad cauſas procatharcticas jam notum eſt, eas ab impedimento perſpirationis, ab humorum acrium conſueta evacuatione ſuppreſſa, ab quibuſdam peculiaris naturæ febribus, ab hydropico irritanti humore, ab ſcorbutica cacochymia, ab vini, aromatum, liquorum ſpirituoſorum, carniumq. abuſu, atque ab id genus reliquis derivare ſolere.

§. 15. Eryſipelas ſimplex ut plurimum benigna reſolutione curatur. Quan- *Prognoſticum ſimplicis eryſipelatis.*

Quando ſuppurat frequenter partis putrefactionem generat. Peſſimum ſignum eſt ab exterioribus ad interiora verti eryſipelas, quemadmodum notaverat Hippocrates (*m*). Quando per factam putrefactionem eryſipelas denudaverit os, malum quoque dixerat Hippocrates (*n*). Semper timendum eſt eryſipelas in capite, & pectore (hiſce in locis eryſipelas frequenter naſci praxis quotidie docet) ſi per ipſius retropulſionem oriatur aut delirium, aut ſpirandi difficultas cum tuſſi conjuncta; tunc aut cerebrum, aut pulmones eryſipelatoſa materia obſideri facili conjectura aſſerimus. Haud raro eryſipelas criticum eſſe ſolet. Hujus enim adparitione acuta febris feliciter aliquando judicatur. Quod autem ſpectat ad curationem, jam caute procedere medicum in curando eryſipelate debere vel ſolus indicat ipſius morbi retropulſionis metus. Tutiſſima methodus cu-

(m) Lib. Aphor. VI. n. 25.
(n) Lib. Aphor. VII. n. 19.

curandæ eryſipelatis practica obſervatione ſemper comprobata eſt ſequens. Quo primum apparet febris eryſipelas erupturum indicans mittendus eſt ſanguis, ut facta liberiori circulatione citius erumpat eryſipelas. Nec phlebotomiam repetere vigentibus ægri viribus ſomnolentia, anxietate, corporis inquie &c. nos pænituit. Serum aſinium vel caprillum defæcatiſſimum cum aqua ſambuci copulatum utiliſſimum eſt. Idque cum convenienti doſi ſalis polychreſti conjungimus, ut exoneratis primis viis, eductaque bile, eryſipelatis curatio feliciter obtineatur. Clyſteres leviter ſubducentes ex aqua ſambuci cum addito oxymelle, aut pulpa tamarindorum parati frequenter injiciendi ſunt. Nec audiendi ſunt pſeudomedici illi, qui timentes, ne facto in inteſtinis levi ſtimulo, advocetur ab exterioribus ad interiora morbus, ab indicatis remediis abhorrent. Nam hujuſmodi remedia nil perturbant circulationem, ſed tantum tubum leviter commovent inteſtinale, & quod materiale promptum

eſt

eſt facile educunt, ſicque ablatis compreſſionibus debilitatem facile inferentibus, factaque inde liberiori circulatione eryſipelas promptius, feliciuſque educitur, & curatur. Extrinſecus vero lenit eryſipelas virens ſambuci folium, quo operire tumorem ſolemus. Et ipſius ſambuci florum aqua affectam partem frequenter irrorare ſolemus haud ſpernenda dolentis loci remiſſione. Et eryſipelati aut tarde erumpenti, aut ad interiora reditum molienti ſuccurrere ſolemus adplicitis brachiis, tibiiſque veſicantibus, emollientibus fotibus cuti univerſæ admotis, nitri ſtibiati uſu, aut chamæmeli, aut bardanæ, aut ſarſæ parillæ propinatis decoctionibus, & his ſimilibus.

Eryſipelas ſubcutaneum.

§. 16. Subcutaneum eryſipelas ideo adeſſe dicimus, quia ſub cute omnia eryſipelatis modo memoratæ ſigna luculentiora eſſe deprehendimus, licet extrinſecus nullum eryſipelatis ſignum appareat. Nimirum in quodam corporis ſuperficiei loco æger ſentit urentem ardoris ſenſum, qui vel levi adhi-

hibita preſſione intolerandus evadit. Locus affectus duritiem præternaturalem oſtendit, nec aliquem motum, niſi maximo dolore facere poteſt. Extima cutis ſuperficies ſuum naturalem colorem non mutat, ſed continuo eryſipelate erumpente rubicundior evadit. Corripit frequenter eos, quorum corpus diuturnæ & frigidæ pluviæ, aut crepuſculi veſpertini, aut frigidus ventus inopinato prehenderunt. Qui ſub dio dormiunt hoc morbo frequenter laborant. Licet verum ſemper ſit has cauſas ſemper morboſam diſpoſitionem præſupponere ſolere. Nam qui vitam ducunt intemperantem, ſanguinemque habent humoribus impuris plenum, ſi ab hiſce cauſis feriuntur frequenter morbo, de quo nunc ſermo eſt, laborant, qui eo ſævior erit, quo corpus impuritatibus fædatur. Juvat affectæ parti pannum laneum camphoræ fumo infectum adplicare. Et tincturam ſuccini affrictam quoque confert. Si dolor maximopere vexaverit bonum erit aliquot laudani liquidi ſydenhamii guttulis

par-

partem fovere, ut quodammodo dolor temperetur. Nec inutile erit ſanguinem mittere. Lecti tepor, corporis quies, clyſmata emollientia, magnæ frigidiuſculæ cum nitro conjunctæ potiones, ſuffumigia, & his ſimilia a prudenti medico imperari debent.

Eryſipelas album. §. 17. Album eryſipelas cum lymphatica inflammatione ut plurimum convenit, cujus ſedes eſt in cellulari, & cuti, dum acri lympha obſidentur. Hujus irritatione efficitur, ut in affectam partem fiat magnus humorum confluxus, & volatilitati materiæ acris debetur morbi tranſitus de loco in locum. Capillata calvariæ pars, colli cutis, & facies hoc morbo ſæpe infici ſolet. Et haud raro morbus ceteroquin innocens conjungitur cum alio gravi, & periculoſo morbo. Dolor vexat, & ardor, qui eo ſævior eſt, quo tumor dilatatior apparet. Et febris, quæ morbum comitatur leviſſima eſt, eaque mane remittit adveſperaſcente exacerbationem ſumptura. Morbus intra ſeptimum conquieſcit, & ſtatutis anni temporibus autumno,

ſci-

ſcilicet, & vere, præſertim ſi per hyemem corpus frigido, & humido expoſitum ſit, & per æſtatem nil, aut parum ſudaverit, redit. Sanguinem mittere certo caret eventu. Niſi ſummus vexaverit dolor, & febris magna ſit phlebotomiæ parcendum eſt. Diluentia optima ſemper ſunt cum levibus eccoproticis conjuncta. Sic ſerum lactis depuratum, aut graminis, chamæmeli, fumariæ, aliarumque id genus plantarum decoctiones cum pulpa tamarindorum, cum ſale anglicano, cum ſale polychreſto, & his ſimilibus conjunctas præſtat propinare. Ptiſanas ex ſarſa parilla, cortice ligni ſancti, cum adjectione foliorum ſennæ paratas perque menſem exhibitas feliciter profeciſſe vidi. Hypochauſtorum thermalium uſus quoque maximopere juvat. Hiſce enim remediis promovetur ſudor, & ſolvitur acris inerſque materies, ſicque morbi reditus arcetur. Nunc meæ committitur curationi mulier annorum 40, quæ quotannis adulto vere albo eryſipelate collum faciemque infeſtante

laboravit. Jam tertius eſt annus, in quo a morbo vivit immunis eo quod per ſeſquimenſem ptiſana modo memorata uſa ſit.

Sacer ignis. §. 18. Sacer ignis teterrima eſt eryſipelatis ſpecies, in qua tamquam ſi ſubjecto igne partes uſtulari videantur creberrimis replentur bullis acrem & corroſivum ſervantibus humorem. Hujus diviſio facienda eſt in acutum, & chronicum. Uſtionis, & ardoris maximus accenditur ſenſus, quem ſtatim excipit magna febris & tamquam igne uruntur partes creberrimis operiuntur bullis, in quas flavus acerrimuſque continetur ichor, qui ſi fluit, quas tangit partes adurit, bulliſque replet. Maximus eſt ardor in parte affecta, quapropter & inſomnio, & inquie, & magna febri, & cita macie vexantur ægri. His permanentibus haud raro cutis calloſa, & dura evadit, inque rimas finditur, quaſi elephantiaſi corriperetur. Hanc cutis morboſam diſpoſitionem excipit tandem gangræna vicina ſemper loca depaſcens, ſicque ægri vires ſenſim amit-

amittunt, & oculos fuſcos habentes, extrema frigida geſtantes miſerrime fatis cedunt. Ignis vero ſacer longus haud felici pariter curſu procedere ſolet. Licet verum ſit quo vetuſtiorem morbum eſſe, eo minus periculoſiorem evadere. Loca, quæ faciunt hujus morbi conſuetam ſedem ſunt corporis extrema, tamquam partes a centro vitæ diſſitae. Hujus ignis ſacri bullæ licet non ſunt confertiores, & coagminatæ veluti præcedentis, ſunt tamen ampliores, & ſervant flavum ſerum minus acre, & corroſivum. Bullæ facile aperiuntur, fiuntque albæ & collabentes, ac ob ſuccreſcentem carnem rubicundam cicatricem brevi concipiunt. Sæpe accidit, ut primarum bullarum exſiccationem ſequatur unica nocte, inexſpectato, nova bullarum congeries, morbuſque vim ſuam iterum ſumit. Sicque ludens morbus per annum & ultra vexare ſolet homines, quorum vita ſedentaria, & iners ducta eſt, quorumque corpus ſive per alimentorum degenerum, & præſertim car-
 nium,

nium, vini, liquorumque ſpirituoſorum abuſum, ſive per ſuſceptum venenum gallicum, aut alius veneni cujuſcumque indolis, nempe ſcorbutici, varioloſi, morbilloſi &c. infectionem, impuritatibus multis fœdatum eſt. Sive acutus, ſive chronicus morbus eſt ſemper formidandus, & tantum diuturno pulmonum morbo affectis quodammodo ſalutaris eſſe poteſt, ſi pedes occupando perennem humorum degenerum effuſionem faciendo pectus exonerat.

Sacri ignis curatio. §. 19. Curari diligenter ignis ſacer debet. Cum autem in hujuſmodi morbo princeps timor ſit in gangrænæ adventu, antiſepticis remediis interne externeque adhibitis moliendum eſt, ut ipſa gangræna arceatur. Unciam chinæ idcirco in quinque aquæ libris ebullire facimus, & hujus decoctionis qualibet hora ſex uncias ægris bibendas concedimus. Et ſpiritum vitrioli dulcis cum hac decoctione copulatum propinare ſummopere juvat. Si ſuppuraverit affecta pars cito aperienda eſt, & ſtatim ace-

aceto, aut ipſamet chinchinæ decoctione ſpiritu vitrioli infecta irroranda eſt. Nec vanum erit partem nullam habitam ſuppurationem, aut ipſis medicamentis, aut aliquot guttulis tincturæ mirrhæ & aloes, quibus corruptio ſemper arcetur, fovere. Ceterum imprimis nondum gangrænæ ſignis ſeſe offerentibus parca venæ ſectio & quidem repetita ad morbi impetum compeſcendum confert. Lac multa aqua dilutum pro conſueto potu & alimento ſit. Et emulsiones ex ſeminibus frigidis majoribus cum addito papaverum ſemine paratæ advesperaſcente quoque bibendæ ſunt. Hæc remedia demulcent irritantem, & pungentem morbi materiam, ſicque factus telerabilior dolor arcetur gangrænæ metus. Super ipſum eryſipelas aut lactucæ folia, aut ſolani aqua optima demulcentia remedia ſunt. In chronico autem morbo ſedulo attendendum eſt, ut degenerum humorum, & ſcorbutica veluti labe infectorum prompta fiat emendatio, quod obtinebitur victu herbaceo, la-

ſte, aut ejuſdem ſero copioſe epoto, ac deſtillato cum herbis antiſcorbuticis, veluti acetoſella, ſoncho, naſturtio, cochlearia, cichoræa, & his ſimilibus. Solum lac, aut cum panatella, aut cum hordeo decorticato, aut cum farris coctum optimum cibum exhibebit. Et fructus horæi magna quantitate commanſi optimum dabunt nutrimentum. Nec vanum erit viperam aſſam ægrotis manducandam concedere. Balnea frigidiuſcula mane & ſero inſtituta optima ſunt. Nec a laudabili aquarum thermalium uſu arcendi ſunt ægri. Affectæ parti nil adplicandum præter aut ſolani, aut lactucæ virentia folia.

Zoſter deſcribitur. §. 20. Eſt & peculiare eryſipelatis ſpecies, quod quia peculiarem cutis locum occupat ad inſtar zodiaci faſciæ, dicitur idcirco *Zoſter*. Pectus & abdomen ſedem morbi faciunt, & in harum regionum cutem eryſipelacea faſcia fit tres circiter digitos lata, quæ cingere ſolet totum abdomen, totumque pectus inæqualiter lata, totaque plena bullis inæqua-

qualibus, dolentibus & flavum continentibus ſerum. Turget hoc morbo nimis diſtenſum abdomen ac fortiter dolet, & morbus haud raro in gangrænam faceſſit cito mortem afferentem. Nullum hoc morbo correptum ſervatum vidi. Ceterum, ne æger deſperatus derelinquatur, imperandus eſt diluentium remediorum, veluti aquarum malvæ, chamæmeli, florum ſambuci, aut ſeri lactis depuratiſſimi uſus cum nitratis copulatus. Opiata ea ratione conveniunt, quia, imminuto doloris ſenſu, inflammatio quodammodo temperatur, arceturque gangræna. Faſcia tota obtegenda eſt petiis aut aqua ſpermatis ranarum, aut florum ſambuci, aut aqua Domini Goulard imbutis. Iteranda ſæpius eſt ſanguinis miſſio, qua facile reſpirationis difficultati ſuccurrimus. Et vergenti in gangrænam morbo chinchinæ frigida decoctione, & acidis mineralibus occurrendum eſt.

§. 21. Eryſipelatis œdematoſi præcedentia ſymptomata ſunt cephalalgia, capitis oppreſſio, lumborum dolor, *Eryſipelas œdematoſum.*

lor, febris irregularis naturæ cum horripilatione forti copulata nullis obediens remediis &c. Totum hoc morboſum apparatum excipit jam erumpens eryſipelas, quod ita occupat partem, ut videatur rubrum œdema undique per partem ipſam diffuſum. Tumor eſt mollis, & digiti preſſionem facile recipit, foveamque diu ſervat, nec ruborem facile deponit. Raro ſuppurat, nec bullis repleri ſolet, & intra nonum diem conſuetis remediis curatur. Quod ſi per materiei degenerem indolem bullæ fiunt, tunc metus eſt, ne ob mollitudinem tumoris, aut ſordidum ulcus, aut gangræna oriatur. Oritur morbus a multitudine acris lymphæ in cellulari collectæ, quæ cutim diſtendendo facit mollem tumorem. In hunc tumorem confluit per factum ſtimulum multa globulorum ſanguineorum quantitas, qua rubor in tumore conſtanter efficitur. Nec dici poteſt tempus adeſſe medium, quo fiat tumor, & ſequatar rubor. Enaſcitur enim eodem tempore rubor, & tu-

& tumor; quod idem eſt cum lympha acri conjungi ſanguinis globulos, fierique eryſipelas œdematoſum. Nam ſi diuturno, & frigido albo œdemati accedit eryſipelas, tunc fit œdema eryſipelatoſum. Hoc ut plurimum accidit cacochymis diu frigidum pedum tumorem gerentibus, quibus per enatam fortem febrim cum horrore conjunctam, præviis capitis gravativo dolore, anxietate, ac veluti aſthmatico inſultu, alvi ſtipticitate &c., advenit eryſipelas œdema undique occupans, quod venturæ gangrænæ & putreſcentiæ partis ſignum eſt. Et id eo facilius accidit, quo eryſipelas bullis acri ſero plenis fœdatur.

§. 22. In eryſipelate œdematoſo prodeſt ſanguinem mittere, & leviter alvum ſubducere clyſteribus & eccoproticis, & urinam promovere utile quoque erit. Quapropter ſerum lactis depuratum cum convenienti cremoris tartari doſi conjunctum præ omnibus eſt ſeligendum. Et in hujus remedii uſu diu eſt perſiſtendum. *Eryſipelatis œdematoſi cura.*

Si

Si per ſpontaneam, aut artefactam bullarum rupturam ſordidum ulcus appareat, ipſum eſt frequenter abſtergendum calido vino, aut chinchinæ decoctione. Semper bonum eſt diu perſiſtente morbo remediis diluentibus, & ſanguinem depurantibus curationem abſolvere. In œdemate vero eryſipelatoſo fortiter alvus laxanda eſt, & urina promovenda. Hinc cremoris tartari doſis augeri debet, & in hujus remedii exhibitione diu eſt perſiſtendum. Ad procurandam ſanguinis depurationem, laxandamque ſimul alvum uti ſolemus ptiſana ex ſarſa parilla, cortice ligni ſancti, & ſennæ foliis parata, eaque per plures dies exhibita morbo feliciter mederi ſolet. Apparente gangrænæ ſigno chinchinæ decoctione frigefacta cum acidis mineralibus, & præſertim cum ſpiritu vitrioli dulcis copulata interne exhibenda eſt, & affectæ parti ipſam decoctionem adplicere fas eſt. Vinum mirrhatum, aut aloeticum non ſine felici ſucceſſu quidam admovere quoque ſolent. Quod ſi di-

diſpareat eryſipelas, & remaneat frigidus tumor, tunc haud ſuſpenſo diureticorum, & eccoproticorum uſu, oportet tumorem operire panno laneo fumo camphoræ infecto, aut pelle ulpina. Et apud noſtrates mos eſt hiſce tumoribus vitio ſolius partis ortis efficacibus remediis reſiſtentibus, diuque perſeverantibus hypochauſtis thermalibus, aëris marinis effluviis repleti uſu, & his ſimilibus mederi. Vidi nuper juvenem annorum triginta propter ſiniſtri femoris fracturam habitam & curatam diuturno pedis ejuſdem œdemate vexatum aquæ gurgitelli balneo affectæ parti tantum adhibito, perque dies 40. quotidie repetito ſuæ ſaluti feliciter reſtitutum.

ARTICULUS IV.

Gangræna. Abſceſſus.

§. 23. JAm dictum a nobis eſt gangrænam inflammationis conſectarium ut plurimum eſſe. At non negandum abſque prægreſſa inflammatione ipſam poſſe aliquando fieri. Hu- *Gangræna ejuſque ſpecies.*

jus

jus gangrænæ duplicem ſpeciem practici conſtituunt, alteram nempe *humidam*, alteram *ſiccam* dicunt. In humida gangræna pene ſemper tumor obſervatur, qui tumor abeſſe ſolet a ſicca gangræna. Gangræna cum ſemper ſit partis mortificatio, ea ſane tunc accidit, quando per cauſas quascumque vitæ influxu privantur partes. Vita in partibus noſtri corporis ſervatur per ſanguinis, & nervei fluidi influxum. Quotieſcumque igitur hoc influxu partes privantur, eas mori, ideſt gangræna affici neceſſe eſt. In humida gangræna cum apparenti tumore comitata cauſæ poſſunt eſſe plures tollentes vitalem influxum. Clariſſimus Queſnay de hoc morbo benemeritiſſimus ſcriptor credit humidæ gangrænæ cauſas poſſe reduci ad contuſionem, ſtuporem, infiltrationem, ſtragulationem, animalium venenatorum morſum, inflammationem, congelationem, combuſtionem, & ad putrefactionem (*o*).

Il-

(o) Adeatis quæſo adoleſcentes laudatum au-

Illuſtris Gorterus putat motum vitalem majorem, quam ferri poteſt, inter-

auctorem T. I. de gangræna p. 11. Et ex ejuſdem auctoris mente patet putrefactionem non ſemper cum gangræna conjungi. Idque patet ex ſequentibus rationibus. Nimirum in gangræna nil aliud eſſe debet, quam partis mortificatio, in putrefactione organicarum partium diſſolutio, & tenuiſſimæ ſubſtantiæ evolutio, qua fætor excitatur. In gangræna eſſe poteſt vitæ defectus, ſed nulla partium diſſolutio. Nam ut plurimum in gangræna adeſt partium integritas, & ſi cum mutato colore aliquando mollities, & bullarum apparatus in gangræna adpareat, id potius eſt gangrænæ effectus. Quando deficit in quadam parte vita jam deficit modus, quo intima elementorum ipſius combinatio ſervatur, hinc advenit ſpontaneus ſeceſſus ipſorum elementorum, & tenuiſſimæ ſubſtantiæ evolutio, & re vera putredo fit. Nec denegari poteſt per ortam in quadam parte putredinem poſſe circulantibus humoribus admiſceri humorem gangrænoſa præditum indole, qui dum deponitur gangrænam efficit. Hoc in caſu gangræna eſt putredinis effectus. Nec rarum eſt videre putridum vaporem, tamquam gas mephiticum nervos invadere & opprimere aptum ita poſſe corpus vitali influxu orbare, ut ipſum ad gangrænam ſubeundam aptare valeat. Id paſſim videre eſt in febribus putridis malignis, quæ gangrænam hoc modo inducendo occidunt.

terceptam circulationem, defectum ſpirituum & ſanguinis, extinctionem vitalis motus, partis deſtructionem, mirabiliaque venena potiſſimas eſſe gangrænæ & ſphaceli cauſas.

Gangrænæ cauſæ. §. 24. Illud certum eſt in humida gangræna cum tumore apparenti conjuncta poſſe vitam perire aut per violentam citamque vaſorum, nervorumque deſtructionem, quemadmodum in magna accidit inflammatione, eryſipelate, morbiſque acutis & ardentibus, nec non ambuſtione, aliiſque id genus cauſis tumorem inferentibus, aut per quocumque modo factam compreſſionem vitalem influxum per arterias, venas, nervoſque ferendum tollentem. Sic per aneuryſma, luxationem, fracturam, obſtructionem, herniam, ligaturam, aliaſque cauſas tumorem facientes advenire poteſt gangræna. Hoc quemadmodum verum eſſe ſolet, ita haud denegare poſſumus abſque ulla ex indicatis cauſa oriri ſolere gangrænam. Si ſcilicet humor gangrænoſus circulantibus immixtus humoribus aliquo decumbat in lo-

loco, ſemper gangrænam infert. Hoc eo vel maxime accidit, ſi nempe circulationi aliquid adponitur impedimentum. Sic obſervamus arctis faſciis veſicantia ligata aliquando gangræna corripi. Et poteſt quoque morbus fieri, ſi per multam humorum evacuationem, nempe hæmorrhagias, nimium alvi fluxum, profuſum ſudorem &c. vitali influxu partes orbantur. Phthyſici, dyſenterici, nimiam per uterum, aut hæmorrhoidas ſanguinis evacuationem paſſi, atque his ſimiles ægri hanc ob cauſam gangræna affici, & mori ſolent. Verum ad gangrænam ſiccam pertinere videtur poſtremus hic morbi faciendi modus. Ceterum quocumque modo gangræna fiat ſtabiles habere ſolet gradus. Nimirum primus ſtuporis ſenſus perſentitur, inde inſenſibilitas, quam ſequitur mollities partis, & coloris e roſeo, & pallido in lividum, & nigrum mutatio. Facillime cuticula a cute ſecedit, & per vicina loca morbus propagatur. Jam incipit putredo, & primo cutis, inde cellularis,

po-

poſtea carnes, vaſa, & nervi ad uſque oſſa corrumpuntur. Hic eſt ſphacelus, qui nil aliud eſſe videtur niſi confirmata, & perfecta gangræna.

Gangrenæ ſivæ idea. §. 25. Nec denegari debet abſque ullo apparenti ſigno gangrænam aliquando incipere, & celeri curſu progredi. Id tunc fieri debet, cum ex cauſa interiori morbus conſtituatur. Nam ſi venenatus, & gangrænoſus humor aliquo in loco deponatur continuo poteſt partem mortificare, & ſi pedes v. g. morbo afficiantur ſenſim ſenſimque gangræna aſcendit ad uſque genu & femur inevitabilem mortem paritura. Vidi hominem ſexagenario majorem Incurabilium noſocomium petentem, qui abſque ulla prægreſſa cauſa gangræna extremos pedes occupante laborabat. Hæc gangræna rapido curſu ad uſque genu, & femur extendebatur, ex qua intra ſeptimum diem eſt interfectus. Duos ante obitum dies a chirurgo explorabantur pedes, qui poſt levem agitationem ex integro deciderunt tamquam ſi acuto cultro abſcinderentur li-

ligamenta extremos pedes cum fibula, & tibia adligantia. Et quando hujuſmodi gangræna efformatur nulla excitari ſolet febris, quæ in gangræna ſicca ne quidem apparet. Morbus fieri ſolet a veneno magis deleterio & vaſa, ac nervos ſtatim deſtruere apto. Apparet ut plurimum ad inſtar uſtionis eſcheram inferentis, cui ſtatim ſuccedit partium mortificatio. Hujuſmodi tranſitus non ſine maximo dolore fieri ſolet, & quando poſt enatam eſcheram gangræna incipit nonniſi cum rapido curſu progreditur, nec ulla medicamentorum vis poteſt impedire venturam ægrotantis mortem.

§. 26. An & ad hujuſmodi gangrænam referri debet illa, quæ fit à nimio frigore? Certe ſingularis eſt gangrænæ ſpecies, quæ fit a gelu occupans partes per vim frigoriferorum aculeorum, ſpiculorumque. Hiſce enim clauduntur, adſtringunturque vaſa, ſanguiniſque influxus impeditur, & fibrarum oſcillatio ceſſat. Et ipſe ſanguis repletus ſpiculis iisdem *Gangræna, quæ fit a gelu.*

denſatur, coagulaturque, atque mortuam jam partem livido colore inficit. Et venena mirabilis naturæ aptiſſima faciendæ gangrænæ ut plurimum ſunt. Sic obſervamus, poſt morſum viperarum, & quorundam ſerpentium venenatorum gangrænam fieri. Sive quod venenum nervos occupando influxum nerveum impediat, ſive quod tollat a muſculis irritabilitatem, ſive quod utrumque faciat, ſive quod ſanguinem ceteroſque humores corrumpat, & circuitui obeundo impares reddat, ſive ob aliam rationem, ſane gangræna oritur, quæ mortem ægrotantis ut plurimum infert per venenum peculiaris naturæ in corpus immiſſum. Et ſi his ſimilia venena in corpore generantur, ipſa pariter gangrænam faciunt, prout modo dicebamus. Sic ſemper patet gangrænam habere poſſe varios exitus pro varietate cauſæ, & loci. Nam gangræna partium externarum, & celluloſa multa, & multo humore præditarum multum ſerpit, & difficile curatur. In gingivis, palato, naribus, pu-

pudendis, perinæo, inteſtino recto, & his ſimilibus partibus orta gangræna raro curatur, & multum ſerpit. Gangræna hydropicorum ſemper eſt lethalis. Deficit enim vis ſolidorum, cujus ope mortuæ partes ad vitam redire poſſunt. Quando incipit in pedibus, & ſenſim ad femora aſcendit, ſemper occidit. Significat enim peſſimæ indolis venenum corruptorium medicamentis vel potentiſſimis minime ſubigendum. Quæ oritur ab externa cauſa gangræna minus periculoſa eſt illa, quæ ab interiori fit cauſa. Illa fixam ſedem habens, & levius continens venenum curationem admittit, hæc novum ſemper fomitem ab interiori cauſa recipiens, & ſævius venenum continens curari non poteſt. Viſcerum internorum gangræna ut plurimum occidit. Si ulceris gangrænoſi margines exſiccantur cum virium imminutione, lethale eſt ait Gorterus (*p*). Quod ſi ipſius gangrænæ margines rubent, tument, & pus gi-

(p) Chirurg. repurg. p. 79.

gignunt, bonum eſt (q). In primo caſu vis vitalis mortua, in ſecundo caſu vis ſuperſtitat, & apta eſt ad faciendam vivæ partis a mortua ſeparationem. Sphacelus pene numquam curatur.

Gangrenæ curatio. §. 27. Pro apta tanti morbi curatione abſolvenda ſedulo advertendum, num gangræna a nimio humorum motu, nimiaque eorum quantitate, num a defectu eorundem motus, & quantitatis fiat. In primo caſu conveniunt ſanguinis miſſio, purgantia, & ea omnia remedia, quæ valent magnam humorum vim debilitare. Inter hæc remedia principem locum tenet opium, quod eo vel maxime convenit, ut ſcilicet temperato ſauguinis motu, factaque mitiori irritatione, imminens arceatur gangræna. Et ſemper bonum erit pro temperando quoque phlogiſto cum aqua frigidiuſcula non parcam ſpiritus vitrioli dulcis quantitatem copulare & interne exhibere. Quod ſi gangræna immineat, aut facta

(q) Idem ibidem.

cta ſit per defectum circulatorii motus, tunc erigenda eſt naturæ vis ope remediorum cardiacorum, & leviter ſtimulantium. Sic aqua meliſſæ, vel cynnamomi, vel caryophyllorum in convenienti quantitate decoctionis chinchinæ, eſt propinanda. Sed præ omnibus valet vinum generoſum, cujus virtus cardiaca, & antiſeptica notiſſima eſt. Et ab venenis potentibus ortæ gangrænæ alexipharmacis, nempe contrajerva, ſerpentaria, gummi camphoræ, moſcho, mirrha, & his ſimilibus curari debet. Ceterum jam facta gangræna ſedulo advertendum, ut non propagetur ad vicina loca; & mortuam carnem a viva ſeparare ſemper convenit. Hinc factis profundis ſcarificationibus ad uſque vivam ſedem extenſis, & exitu ſanguinis procurato pluries de die frigida chinchinæ decoctione ſpiritu vitrioli dulci infecta abluenda eſt affecta pars. Et per ipſum ignem adhibitum haud raro & impeditur gangrænæ curſus, & fit cita mortui a vivo ſeparatio. Et ſi aliquod unguentum adplicari debet

componatur ex melle roſaceo, & ovorum vitello, aut ex balſamo arcei, aloe, & mirrha infecto. Nec improbandus eſt mos quorundam cordatiorum chirurgorum, qui tantum carptum linum decocto chinchinæ imbutum pluries de die renovatum adhibent. Vidi non raro vinum mirrhatum ſummopere profeciſſe.

Cangrenæ curatio. §. 28. Bona morbi curationis auſpicia deſumuntur ab adparitione puris, quo ſolo fieri debet mortui a vivo ſeparatio. Hujus puris generationem impedire poteſt virium defectus, & confirmatæ putredinis curſus. Danda igitur eſt opera, ut ſerventur vires, immo & languentes erigantur, atque impediatur putredinis curſus. Hinc præſtat juſcula nutrientia ex carne vitulina confecta & cum limoniorum ſucco copulata, panatellas, lac cum aqua mixtum, vinum generoſum, & his ſimilia propinare. Et frigidiſſimæ aquæ uſus haud interdicendus, potiſſimum ſi cum acidis mineralibus conjungatur. Et ab adplicatione fortiſſimæ chinchinæ decoctio-

ctionis ſpiritu vitrioli dulcis infectæ numquam ceſſare debemus. Hoc ſolo remedio incipientis putredinis curſum impediri non raro vidimus. Si fortunata ſuppuratio adparet, tractanda eſt pars iis remediis, quibus cetera ulcera curantur. Quod vero ſpectat ad remedia interne exhibita, ea ſemper ejus eſſe debent indolis, ut quo fieri poſſit, affectæ partis putredo arceatur. Hinc chinchinam, mirrham, crocum, aloem arnicam, mineralia acida, aquam frigidam, vinum, & his ſimilia, optima facta ipſorum remediorum diſtributione, cum ægrotantium emolumento propinare ſolemus. Et tam interna, quam externa remedia hactenus expoſita gangrænæ ſiccæ quoque convenire poſſunt. Niſi quod in hac major ratio haberi debet remediorum circuitum humorum ſervantium. Et tota fides collocanda eſt in vino, moſcho electo, croco, & mirrha. Hæc remedia interne ſumpta poſſunt impeditum ſanguinis curſum promovere, febrim accendere, & arcere mortem partis proximam.

Nec vanum erit affectæ ſedi ob gangrænoſi veneni decubitum jam jam morituræ admovere ipſum vinum, quo pluries de die abluenda eſt pars. Ceterum ſive in putrida, ſive in ſicca gangræna hiſce nihil proficientibus remediis jam orta ſit depaſcens gangræna, & putredo conſumere incipit carnes, vaſa, nervos, & ligamenta, tunc nulla interpoſita mora ad membri amputationem deveniendum eſt. Ab gelu autem ortæ gangrænæ cordatiores practici medentur nive confricata ſupra partem affectam. Viderunt enim experientia igni expoſitam partem hujuſmodi gangræna affectam cito in putrilaginem abire. Id ſi aliquando ſit, melius eſt corruptum amputare, quam fœdiſſimi ulceris curationi ſine ulla ſalutis ſpe ægrum exponere. Spicula frigorifera calore ignis fiunt actuoſiora, & carnes ulnerant, ſcindunt, convertuntque in corruptionem. Quod ſi confricatur nive pars, aut in aquam immergatur gelidam, tunc ſpicula aut ab aqua ſoluta relinquunt partem, aut quod re-

rectius per attractionem & affinitatem, quam habent interna ſpicula cum externis, extrahuntur, & immunem relinquunt partem. Glaciata poma ſi igni exponuntur ſtatim corrumpuntur, ſi in frigidam immerguntur intacta ſanaq. extrahuntur.

§. 29. Quod autem ad abſceſſum ſpectat, licet verum ſit ſub nomine abſceſſus omnes tumores comprehendi poſſe, quemadmodum Marcus Aurelius Severinus opinatus eſt, attamen haud inficiari poſſumus, abſceſſum hodie apud practicos ſignificare collectionem puris intra carnes. Nam ſi pus in cavo quodam noſtri corporis colligitur empyema potius, quam abſceſſus fit. Triplex eſt juxta Gorterum (*r*) efformandi abſceſſus modus. I. ab inflammatione. II. ab acuto morbo diu perſeverante nullam criſim obtinente. III. ab metaſtaſi. Primus faciendi abſceſſus per inflammationem modus eſt nuper a nobis indicatus (§.8.) Alter modus ſic oſtendi- *Quid abſceſſus.*

(r) Chirurg. Repurg. p. 67.

ditur. Quando morbi materies bonis immiſcetur humoribus poteſt per vim vitæ aut ſeparari a bonis humoribus, & per corporis excretoria loca foras expelli, aut ita ſubigi, & attenuari, ac in inquilinorum humorum indolem ita converti, ut minime valeat ſolida lædere: tunc ſanitas redit. Quod ſi utrumque minime accidit, interim morbi materies peculiarem in partem congeritur, munuſq. illius partis lædendo in pus convertitur, tunc efformatur abſceſſus. Et ſemper verum eſt intra ſanguinem aliquando hoſpitare materiam degenerem, & veluti venenatam abſceſſui producendo aptam. Hoc venenum a ſtimulo, quem excitare ſolet morbidæ materiæ depoſitio in quadam parte advocatur, quo novus ſemper abſceſſui fomes ſuggeritur. Sic ortas, & ſuppuratas parotides poſt febres ardentes comperimus. Et factas citiſſime alias ſuppurationes modo in hanc, modo in illam partem abſque ullo prægreſſo inflammationis ſigno in morbis acutis non raro obſervamus. Tertius tandem efficien-

ficiendi abſceſſus modus vel ſola practica obſervatione indicatur. Nam cujuſdam loci pus a vaſis abſorbentibus hauriri poteſt, & transferri ad aliud organum, aut alium locum, & tunc abſceſſus generatur nulla prævia inflammatione. Sic obſervamus ab empyemate per puris abſorptionem oriri pedum abſceſſum, & ad hepar, aut pulmones delatum pus pariturum abſceſſus a pedibus abſorptum.

§. 30. Qui oriuntur in capite abſceſſus ut plurimum habent magnam baſim, & dolentiſſimi ſunt, minus dolentes ſunt ii, qui oriuntur in pectore, & in abdomine. Id forſan accidit propter duriorem cranii cutem, cui diſtendendo maxima vis requiritur, maximuſque inde excitatur dolor. Quando fiunt in abdominis viſceribus abſceſſus, tunc pulſus obſervantur crebriores, & minores iis, qui comitari ſolent abſceſſuum generationem in pectore, collo, & capite. Dum cujuſcumque loci abſceſſus oritur, tunc præcedit horror, quem magna ſequitur febris. Huic ſtatim accedit cujuſdam *Abſceſſus efformandi modus.*

dam

dam loci punctorius dolor, qui fixus in dies creſcit, & cum ejus augmento creſcit loci volumen. Dum hæc patitur æger, inſomnis, inquietuſque ſemper eſt, nec caret nocturno ſudore & moleſta tuſſi. His omnibus accedit tumoris fluctuatio, & ad albedinem vergentia. Factum jam abſceſſum & mitior febris, & dolor tolerabilior ſequitur. Et cum notus ex certis ſignis abſceſſus ſit, jam patet repellentibus remediis eſſe vale dicendum. Numquam verus abſceſſus reſolvi poteſt. Summa diligentia phlebotomia eſt inſtituenda, & diluentium, & temperantium remediorum uſus ad moleſtiæ indolem temperandam, atque urinæ vias aperiendas eſt laudandus. Sedulo attendendum eſt, ut carnes quibus pus ſubjacet, attenuentur, ut pus aut ſponte prodeat, aut ſectione inſtituta, facile educi poſſit. Et ſemper verum eſt attenuata carne ſectionem faciliorem evadere, & pus ad exteriora ductum minus interiora peſſumdare. Emollientia remedia ſunt, quæ attenuant. Hinc malva, althæa, fœnu

græ-

græcum, chamæmelum, quatuor farinæ emollientes dictæ, & his ſimilia remedia in aqua multum incocta, & affectæ parti admota cutim attenuant, & ad exteriora ducunt pus. Et aliquando his remediis additum quoddam oleaginoſum, & pingue, veluti aſſungia inſulſa, unguentum Filii Zachariæ, &c. promptiorem effectum parit. Id ipſum facere ſolet admotum emplaſtrum diachylon cum gummis, de mucilaginibus, de meliloto, de gratia Dei, &c. Hiſce pinguibus remediis promovetur ſuppuratio ex ratione, qua impeditur perſpiratio, augetur inde fermentatio contentæ intra tumorem materiæ, ſicque facilior evadit ſuppuratio.

§. 31. Si abſceſſus ſponte non aperitur, arte aperiendus eſt. Hinc quæ eſt abſceſſus protuberantior & mollior pars, atque intus majorem continet fluctuationem ſcalpello incidenda eſt ea in ſede, in qua per declivium pus facilius deſcendere poſſit. Cultri apex ita aptari debet, ut productus inſinuetur ad uſque pus, & diſſecando *Proſequitur abſceſſus curatio.*

car-

carnes, aperiatur via, per quam pus educi oportet. In hac ſectione nulla haberi debet diligentia, & cura directionis fibrarum muſcularium, quæ directionis obſervatio ſane inutilis eſt, dum pus eſt ſupra muſculum collectum. Si vero pus eſt intra carnes ſolum declivium puris bonam ſuadet ſectionem. Nam unicus finis ſectionis eſt citam procurare puris eductionem. Dum igitur pus educitur caute advertendum, ne totum ſimul & ſemel exeat. Hoc caute in magnis abſceſſibus eſt advertendum, ne cum multa puris eductione vita ægrotantis inopinato finiat, prout ſcite nimis advertit Hippocrates, & jugi firmatur experientia. Quando exit bonum pus nil per ſyringam intra abſceſſum eſt immittendum. Nam per immiſſionem aquæ & aëris poteſt augeri puris copia, & ipſius qualitas in dies redditur deterior. Collocandus eſt æger eo in ſitu, in quo puris declivium ſit permanens. Et ſemper bonum erit obtegere partem aut ovi albumine cum aqua ſambuci conquaſſato, aut mol-

molli, & dulci unguento, potiſſimum cum melle parato. Ægri vires ſubſtentandæ ſunt, hinc utile eſt aut hydrogalam, aut carnis vitulinæ juſculum cum ſucco limonum, & aqua cynnamomi conditum, aut panatellam cum addito vini generoſi pauxillo pluries de die propinare. Et ante cibum parvam chinchinæ doſim exhibere cum magno fructu quoque ſolemus. Hoc remedium eo fidentius, & majori doſi exhibemus, quo factus ſit abſceſſus in corpore leucophlegmatico, cachexetico, cacochymo. Ita enim emendatur illa propenſio, quam hæc corpora habent, in malignam puris degenerationem. Vidimus enim frequenter in praxi malam puris conditionem dare cacochyma corpora, nec per frequentem ejus degenerationem, multamque copiam a tabe, atque a morte liberari. Quando creſcit caro ab abſceſſus fundo rubicunda levi plumaceola ſimplici digeſtivo imbuta tractanda eſt pars; ſi vero luxuriat fungoſa caro, tunc remediis abſterſivis & leviter corroſivis cicatrix eſt inducenda.

da. Quod ſi in diuturno abſceſſu obſervatur pus liquidum, viride, ſubflavum, fætidiſſimum, & auctior febris, tunc diæta imperanda eſt, & chinchinæ decoctionem ſpiritu ſalis dulcis infectam affatim propinare fas eſt, & affectam ſedem ſine faſciarum ligatura, tractare convenit, ſed ſolis ex carpto lino factis turundis, aut plumaceolis eodem decocto, aut balſamo arcei madidis obtegere oportet. Et ſemper diuturnum morbum macie ſecuta laborantibus repetitos lactis aqua diluti hauſtus non ſine fructu dare ſolemus. Nec vanum erit cum lacte aut aquam calcis, aut aquam gurgitelli copulare. Ceterum hujuſmodi ægri ut plurimum nil levaminis ab efficaci medicina obtinentes macie confecti perire ſolent.

ARTICULUS V.

Phlegmo. Phyma. Anthrax.

Quid phlegmo? §. 32. PEſſimæ inflammationis naturam phlegmo repræſentat.

tat. Nam naſcitur cum multa carnis duritie, cum multo rubore, ſummo dolore, magnaque febre. Raro ſolvitur, & raro abit in gangrænam, frequenterque ſuppurat, puſque generat corroſivum, & erodentiſſimum ſuppoſitas inde partes deſtruere aptum. Cum ejus ſedes ſit in cellulari, & vicinis carnoſis partibus, facile per vicina inde loca propagatur. Nulli dubium eſſe poteſt hujus morbi cauſam eſſe venenum peculiaris naturæ acerrimum, & irritare aptum, quo magna globulorum ſanguinis phlogiſto repletorum quantitas advocatur, ſicque plus juſto obſtruuntur vaſa muſculorum, & cellulæ membranæ adipoſæ, efficiturque ita veluti irreſolubilis tumor rubicundiſſimus, & calens, qui dicitur phlegmo, qui eo frequentius ſerpit, & per vicina propagatur loca, quo major eſt partium diſpoſitio, & major in ſanguine veneni habitat quantitas. Hinc ſemper tanti morbi curatio a repetita ſanguinis miſſione incipienda eſt. Diluentium uſus ſummopere convenit. Quare ſe-

rum lactis depuratiſſimum cum aqua ſambuci copulatum toto die repetitis vicibus bibendum concedimus, quod cum multa nitri depurati quantitate conjunctum utiliſſimum remedium evadit. Et ad emolliendum tumorem præſtat malvam, aut althæam aqua incoctam parti jugiter admovere. Nec vanum erit impuritatibus primas vias fœdatas eccoproticis antiphlogiſticis exonerare. Caſſiam igitur recenter extractam, aut pulpam tamarindorum cum ſale polychreſto copulatam ſemel iterumque propinamus. In furenti phlegmone veſicatoria partibus a loco affecto remotioribus admovemus, ut humorum affluxus alibi advocatus minus phlegmo oneretur. Quando per frequentem malvæ coctæ applicationem incipit adparere ſuppuratio, tunc ſtatim aperiendus eſt tumor, ſervata ſemper parte decliviori, & per continuam malvæ, aut alius cataplaſmatis applicationem procurari debet, ut reliqua tumoris pars mollis evadat, atque per ſucceſſivam ſuppurationem, puriſque eductionem curetur. Quando du-

durities partis perſeverat, nec multum ruboris obſervatur, tunc convenit applicare cataplaſma compoſitum ex radicibus liliorum alborum, cœpis ſub cineribus coctis, malva, fœnu græco, & aliqua portione unguenti baſiliconis. Ab hujus remedii applicatione numquam deſiſtendum eſt, niſi tota affecta pars ſuppuraverit. Dantur & ſpurii phlegmones, in quibus nec multus ardor, calor, rubor, & durities obſervatur. Hi tumores per ſanguinis miſſionem & levem purgationem, & reſolventium cataplaſmatum adplicationem facile ſolvuntur.

§. 33. Haud difficile eſt a phlegmone phyma diſtinguere. Nam ſive cum Celſo accipiatur phyma tamquam congeries minimorum apicum inflammatoriorum, ſive accipiatur cum Gortero tamquam tumor inflammatorius, circumſcriptus furunculo par, ſed planior, ſemper verum erit facile poſſe phyma ab phlegmone diſtingui. Brevi tempore ſuppurat phyma, & ejus venter totus pure repletur. Numquam ſervat phlegmonis duritiem. Dan- *Quid phyma, quid phygethlon quid terminthus, quid furunculus.*

 tur

tur phymata grandiora, quæ duritiem ſervant, & ægre ad ſuppurationem tendunt. Semper bonum eſt medicamentis ſuppurantibus, potiſſimum malva bene cocta, & aſſungia phymatis ſuppurationem procurare, qua facta ſuppuratione tractari debet phyma tamquam abſceſſus, & cicatrix citiſſime eſt inducenda (*s*). Anthrax eſt luctuo-

(s) Phygethlon, quod latinis dicitur *panus* eſt etiam tuberculum inflammatorium occupans potiſſimum glandulas, & ſecundum varias ſedes ubi efficitur modo vocatur *bubo*, modo *parotis*, prout glandulas inguinales, aut parotides adoritur. Quando remediis ſuppurantibus tractatur, haud tarde ſuppurat, & ad cicatricem conducitur poſtquam eductum ſit pus, & abſterſum ulcus. *Terminthos* eſt tuberculum calens, & dolens in ſummitate habens puſtulam nigram, & lividam fructui terebinthinæ haud abſimilem. Inferiores partes potiſſimum occupare ſolet. Remediis ſuppurantibus ad citam perducitur maturitatem & feliciſſime curatur. A phygethlo & termintho differt *furunculus*, qui eſt parvus tumor in cutem renaſcens, dolens, ruborem, duritiem, & calorem obſtinate ſervans. Sedem habet in cellulari, & a materia acri, ac irritanti efficitur. Baſis eſt late in cellulari profuſa, ſed apice du-

ctuoſum tuberculi genus furunculo major intra carnes ſepultus, durus, aridus, circumſcriptus, ut plurimum in ſuperficie ſtipatus puſtulis igneis ſæpe lividis, in quibus ſanies continetur. Si aperitur, occurrit ventriculus nigra obvolutus carne, quaſi igne aduſta, idcirco appellatur vulgo *carbunculus*. Apparet ex his

durior, cumque parum extra cutem emergat tumor, videtur tamquam abſconditus intra cellularem, ſicque fallendo affligit, ex quo furunculus dictus eſt. Quando ſuppurat minus dat puris, quam expectatur, & in centro ejus foramen eſt ſolidum parum circiter compactam ſervans celluloſam. Hæc eſt furunculi radix. Nec raro accidit, ut vix acies ejus ſuppuret, & poſt magnum ſymptomatum apparatum, emollita ſolvatur baſis. Sanguinis miſſio juvat, & cataplaſma ex malva, mica panis, & lacte compoſitum ſemper eſt admovendum. Si adſunt proximæ ſuppurationis indicia, bonum erit ipſam promovere adplicata malva cum aſſungia copulata, aut admoto emplaſtro de mucilaginibus. Poſt ſuppurationem aperiendus eſt furunculus, niſi ſponte aperiatur, & turundis communi digeſtivo imbutis tractandus eſt, donec prodeat radix. Hac educta, balſamo arcei ſtatim ad ſanitatem redit affectus locus.

baſim hujus tuberculi frequenter gangræna corripi ſolere. Et niſi ignito ferro ad uſque tuberculi profunditatem perveniat cito uſtio, metus eſt ne brevi occidat. Qui timor eo vel maxime ſubeſt, quo aut in calvariam, aut in cervicem prope ſpinam, aut in faciem, aut in inguina tamquam malignus & peſtilentialis enaſcitur anthrax. Igitur ſollicite adhibenda eſt uſtio uſque ad tuberculi profunditatem, & ſtatim uſtus locus imbuendus eſt linimentis butyro recenti illitis, & reliquus ambitus cataplaſmate ex pane, ſcordio, & lacte confecto operiendus eſt. Sanguinis miſſio, atque eccoproticum purgans non vano ſucceſſu operari ſolet. Ubi metus gangrænæ eſt ſtatim china exhibenda, & frigida affatim bibenda eſt aut aceto, aut ſpiritu vitrioli dulcis infecta. Quando eſchara decidit, digeſtivis tractanda eſt pars, & ſi multa apparet putredo tunc ſyphone immittenda eſt chinæ decoctio cum aloës tinctura, aut cum ſpiritu ſalis dulcis copulata. Hydrogala, interdicto omni alio

alio alimento, ægroto concedi poteſt, potiſſimum ſi non brevi tempore curatur anthrax.

ARTICULUS VI.

Aneuryſma. Varix.

§. 24. Arteriarum tunicis aliquando innaſcitur tumor ſacci inſtar ſanguine repletus, qui ut plurimum vehementem habere ſolet pulſationem, & dicitur *aneuryſma*. Hujus duplicem ſpeciem practici determinant, nempe alterum dicunt *aneuryſma ſpurium*, alterum *verum*. Re quidem vera quando arteria habet ſaccum a parvo increſcentem tumore quaſi renitentem, elaſticum, circumſcriptum, ovatum tunc eſt aneuryſma verum. Quando autem arteria ſaccum non continet, ſed per ejus tunicarum lacerationem & rupturam ſanguis effunditur, & inter carnes colligitur, tunc fit aneuryſma ſpurium. In hoc aneuryſmate pene ſemper nulla percipitur pulſatio, & cu- *Quid aneuryſma.*

tis color in lividum mutari ſolet. Ab aneuryſmate vero in ſpurium non raro fit tranſitus. Cauſæ plures eſſe poſſunt verum aneuryſma conſtituentes. In genere quodcumque valet arteriæ membranarum cohæſionem debilitare, & naturale earum tollere ſubſtentaculum, id omne erit aneuryſmatis cauſa. Sic vulnus, abſceſſus, contuſio, corroſio &c. tunicas arteriæ ita afficere poſſunt, ut eas ſubſtinendo naturali ſanguinis impetui impares reddat, ſicque collectus ſanguis intra tunicas fieri poteſt aneuryſmaticus ſaccus. Et quæcumque cauſæ impetum humorum adaugentes, veluti cantus, vociferatio, curſus, ponderum geſtatio, nimius veneris abuſus, & his ſimilia aneuryſma parere poſſunt (*t*). Agentes hujuſmodi cau-

(t) Meditantibus nobis ſedulo aneuryſmatis ortum, & cadavera aneuryſmate mortuorum inſpicientibus ea dubitandi ratio occurrebat, ut cum cl. Cotunnio noſtro (prout & ipſe fando nos docebat) crederemus aneuryſmatis cauſam eſſe morbificum humorem ſanguini im-

cauſæ quæcumque arteriam poſſunt diſtendere, & ad morbum concipien- dum

immixtum, qui penetrare valet arteriarum tunicas, quas vel ſuppurat, vel erodit, vel ita debilitat, ut cedant ſanguinis impetui, & ab eo ſe dilatari, & diſtendi permittant. Ita ſane intelligitur, cur in una arteria plures ſacci fiant aneuryſmatici, curque homo totum arteriarum ſyſtema aneuryſmaticum ferat, prout & nos non ſemel in praxi vidimus, curque tandem oriatur aneuryſma ſine ulla ex præcedentibus cauſis aut tunicas arteriarum debilitantibus, aut impetum humorum adaugentibus. Superioribus diebus inviſebam hominem quadrageſimo anno majorem in noſtro Incurabilium noſocomio degentem ſpurio aneurysmate in dexteri femoris arteria excitato laborantem. Tumor erat jam lividus, maximus, nullam exhibens pulſationem, & in parte ſuperiori multam mollitudinem ſervabat. Sanguinis effuſio imminebat. Febris erat lenta, macies multa, ſummus affectæ partis dolor. Narrabat mihi ſe ſuperiori anno laboraſſe aneuryſmate in ſiniſtra arteria poplitea, a qua liberabatur ope lacteæ diætæ, & frequenti applicatione aquæ & aceti ſuper affectam partem. Hæc affectio oriebatur nulla prævia cauſa, & ipſum, quo in præſenti laborabat, aneuryſma ſponte oriri conſtanter adfirmabat. Evidenter apparet hujusmodi aneuryſmata ex peculiari veneno arte- ria-

dum aptare. Sed dantur nonnullæ arteriæ, quæ ſive per ſitum, ſive per figuram, ſive per uſum, ſive per aliam rationem ad concipiendum aneuryſma præ reliquis aptiores ſunt. Sic arcus aortæ tamquam impetui primo ſanguinis e corde egredientis ſubſtinendo dicatus concipiendo morbo aptus evadit. Quando factum eſt aneuryſma augetur arteriæ pulſatio, quæ ſi contra oſſa arietat, ea quidem deſtruit. Vidi frequenter ab aneuryſmate aortæ coſtas disrumpi, & ſaccum aneuryſmaticum extra pectus exire. Superioribus menſibus morabatur in Incurabilium Noſocomio vir ſexageſimum annum agens, qui laborabat cordis aneuryſmate. Hoc disruperat coſtas, & extra pectus productus erat ſaccus aneuryſmaticus, qui æquabat caput infantis. Quando hunc tumorem inſpexi, jam aliquot guttulæ ſanguinis prodibant a ſumma ejus parte.

§ 25.

riarum tunicas penetrante eas lacerare, debilitare; aliterque perturbare apto fieri. Plures alios caſus hujuſmodi veritatem oſtendere aptos referre vetat ſtricta inſtitutionum ratio.

§. 25. Ab aneuryſmate vero oriri poſſe ſpurium aneuryſma notiſſima res eſt. Diſtendi enim tunicæ arteriæ tantum poſſunt uſque dum rumpantur, & ſanguis intra carnes effunditur. Sed poſſunt arteriæ ab extrinſeco vulnerari; ſicque ſtatim ſit ſpurium aneuryſma. Ab phlebotomia vulnerari poſſe arteriam, ſicque fieri aneuryſma ſpurium exemplum haud rarum in medicina occurrit. Hoc ſpurium aneuryſma ſemper vero periculoſius eſt. Poteſt enim brevi tempore hominem occidere, effuſo per arteriarum rupturam ſanguine, & circulatione ſic ablata. In arteria ſolitaria nullam admittit medicinam, & ſola ſupereſt membri amputatio. Internarum partium aneuryſma non curatur, immo ſubitaneam inferre poteſt mortem. Nulla enim arte tolli poteſt enatum in arteria memoratum vitium. In uſu eſt nobis aneuryſmata curantibus ſuper affectam partem pannos lineos aceto & aqua madidos jugiter adplicare, & nivem aceto infectam frequenter propinare. Arctiſſimam

Aneuryſmatis prognoſis & cura.

per

per aliquod tempus imperamus diætam, ægroto tantum hydrogalam bibendam concedimus. Immo ſola diæta lactea ægrum tractare non ſpernendum auxilium cenſetur. Sed nulla datur opportunior medicina ſanguinis miſſione repetita. Hoc auxilio impediri poteſt cita membranarum arteriæ ruptura. Nonnulli adhibent pulveres adſtringentes, ut fibrarum ſacci aneuryſmatici accurtationem procurent, & ſupra aneuryſma adplicant levem compreſſionem per ſplenia, per faſcias, per laminam plumbeam &c. Hæc remedia licet non improbare auderemus, attamen nullum levamen afferre non ſemel vidimus. Unica ſalutis ſpes conſiſtit in operatione, quam requirit arteria non ſolitaria. Sic poſt cubiti flexuram, poſt poplitem arterias decurrentes deligari poſſe ſuadet earum geminata ramificatio, qua efficitur, ut ſi unus ligetur ramus, poſſit per alterum ſanguinis fluxu membrum gaudere (*u*).

§. 26

(u) Hujuſmodi operatio in hunc modum ef-

§. 26. Aneuryſma venæ eſt varix. Quando vena evadit varicoſa, ut plurimum omnes ejus rami quoque varicoſi evadunt. Advertendum vero eſt, ne accipiatur varix pro venarum contorſione, in qua pene omnis intercipitur ſanguinis reditus, & venæ ex ſanguinis mora fiunt pene varicoſæ. Poteſt autem ab hac complicatio- *Quid varix, ejuſq. curatio.*

ne

efficitur. Arteriæ truncus torculari eſt comprimendus tam arcte, ut pulſus in ea parte ſubjecta percipi non poſſit. Deinde integumenta late ſecundum longitudinem ſunt aperienda uſque dum arteria denudetur. Hæc cum filo duplici eſt intercipienda acu retuſo. Cavendum ne cum arteria nervus ligetur. Arteria interpoſito ſpeniolo ſupra aneuryſma eſt liganda. Poſtea, truſo inter ramos ſanguine ſacci aneuryſmatici, aut aperto ſacco extractoque ſanguine, ligetur infra aneuryſma arteria, ita ut inter utramque ligaturam intercipiatur aneuryſma. His peractis minuenda eſt torcularis preſſio, ut obſervetur num ſatis ſit facta firma ligatio. Si inſpicitur omnia rite facta eſſe, tunc tantum eſt torcular minuendum, quantum in parte redeat pulſus. Demum labia ulneris ſunt emplaſtris tenacibus, & adſtringentibus, ſpleniis, faſciiſque aptis adducenda, neque ligaturæ renovatio, niſi ante tertium diem eſt facienda.

ne oriri varix, poſtquam diſtenſam venam ſequatur ejuſdem atonia, & ſanguis intra veluti ſaccum colligitur. En ratio, cur quæcumque cauſæ fluxum per venas ſanguinis liberum impedientes varices facere ſoleant. Sic ſtruma, ſcyrrhus, foetus, inteſtinorum multæ & duræ feces venas comprimentes varices faciunt. Ita quidem intelligitur, cur cava inferior frequenter varice obſidetur. Laxior venarum membranarum textura efficit, ut ſenſim ſenſimque ex congeſto ſanguine diſtendantur venæ, & ſaccus quoque efficiatur ſanguine repletus. Ubi varix ſit nata, tollenda, ſi fieri poteſt, preſſio liberum per venas ſanguinis iter impediens. Adplicanda eſt lamina plumbea, quæ faſciis ſuper affectam partem aptata ſaltem varicis incrementum impedit. Contractio fibrarum eſt juvanda per adſtringentia & roborantia medicamenta. Hiſce nil proficientibus, interimque varice in dies facta auctiore, tunc acu curvo ceraceo filo munito ita aptandum eſt filum, ut vena conſtringatur

ita,

ita, ut non amplius varix ſanguinem accipiat: & expreſſo ex varice ſanguine manebit varix depleta. Si ipſa aperiatur varix etiam curari poteſt. Urendam, vel ſecandam varicem non poſſe cum Gortero tuto adfirmamus.

ARTICULUS VII.

Œdema. Articulorum hydrops. Hydrocele.

§. 27. QUi deſcribuntur in hoc articulo tumores lymphatici ſunt. Nam quando pedes circumfuſo, albo, mollique tumore, preſſioni cedente, foveamque recipiente, tumore obſidentur, fit œdema. Hic tumor tantum ponderis ſenſum habet. Ejus ſedes eſt in cellulari, in qua craſſa, & iners colligitur lympha, & quando frigidum œdema eſt, foveamque diu a preſſione ſervat, tunc congeſta lympha craſſior eſt. Hoc vocant *verum œdema*. Nam *ſpurium* dicunt illud, quod æquabilem ſervat intumeſcentiam, parum, aut nihil *Quid œdema.*

mu-

mutat cutis colorem, & aut nullam, aut erexpiguam a preſſione recipit foveam. Cauſa cujuſcumque œdematis proxima ſemper eſt collectio lymphæ in pedibus, aut in aliis partibus. Hujuſmodi collectionem lymphæ aut topicum partis vitium, aut univerſalis lymphæ degeneratio, aut cujuſdam nobilioris viſceris labes facit. Peculiare vitium nil aliud eſt, niſi fibrarum atonia, qua efficitur, ut lymphatici humores ob defectum oſcillationis ſtagnare debeant. Hoc eo vel maxime in pedibus accidit, quoniam ſcilicet pedes & ſunt a centro circulationis remotiſſimi, & tenent humores, qui ſurſum aſcendendo contra propriæ gravitatis momentum aſcendere debent. Hiſce ex cauſis moræ, ſtagnationique ſunt nimis apti in pedibus lymphatici humores, potiſſimum, ſi quædam fibrarum atonia acceſſerit. Quod fit œdema ex oſſium articuli luxatione, fractura, aut alio id genus affectu, nonniſi ex debilitato fibrarum tono fit. Et quod fit ex conſequentia acutorum morborum ab

ea-

eadem efficitur pedum atonia. Quando vero lympha nimis craſſa ac tenax ſit, & ægre circuitum abſolvere poteſt, tunc ſtagnare debet in multis partibus, potiſſimum in pedibus, in quibus moveri debent humores, ut dictum eſt, aſcendendo contra proprium gravitatis momentum. Demum ex labe aut jecoris, aut pulmonum, aut cordis œdema oriri poteſt. Id fit ex impedito lymphæ reditu. Nam quando arteriæ deferunt lympham in partes, hæc æquali proportione recipitur a venis lymphaticis, quæ in ſanguineas venas exonerantur. At ſi quando jecur, aut pulmones, aut cor affecta ſunt, non poſſunt in portarum venam, inque cavam ſanguineæ venæ exonerari, ſicque lympha intra cellularem pedum transfunditur, oriturque œdema. Sic intelligitur cur obſtructionem jecoris, aſthmate convulſivo, tuberculis, vomicave laborantes pulmones, corque polypo, aneurysmate, aut alio hujuſmodi morbo affectum &c. excipiat pedum frequens œdema.

Œdematis curatio.

§. 28. Hujuſmodi morbi curationem numquam medicus abſolvere poteſt, niſi prius inſpiciat modum, quo efficitur. Debilitatum pedum tonum auferre ſolent remedia corroborantia, quæ ex aquis mineralibus, & potiſſimum ex gurgitelli, aut piſciarelli, aut ex aqua maris ſeligenda ſunt. Ex his aquis parari poſſunt topica remedia, quæ in formam balnei peculiaris pedibus aptari poſſunt. Neque improbandus eſt uſus internus harum aquarum, & potiſſimum aquæ maris, qua ſola ad libras decem quotidie exhibita obſtinata œdemata feliciter curata non ſemel vidimus. Tibialia aut lanea, aut ex pelle vulpina parata optima ſunt. Motus aut pedeſtri itinere, aut rheda inſtitutus curat œdema, potiſſimum enatum per vitam admodum ſedentaneam. Diureticorum remediorum virtus inveſtigari debet, quibus ſolis multum urinam educentibus vel ipſa veterana œdemata ſanari jugis experientia docet. Remedia hydragoga non ſunt negligenda potiſſimum ex foliorum

ſen-

ſennæ decoctione, rhabarbaro, jalappa, mercurio dulci, & his ſimilibus parata. Si vero morbus aut pectoris, aut hepatis, aliuſque imi ventris viſceris ſymptoma ſit, tunc auferri nequit, ſi primarii morbi curatio opportuna non habetur. Solet haud raro in medio œdematis obſervari locus depreſſior, coloratior, aſperior, durior, qui efficitur ex acri, & muriatico humore immixto œdematis lymphæ. Hoc adparente auferri debent omnia pedes comprimentia, & convenit cum ſero copulare decoctiones antiſcorbuticas, & quolibet mane propinare. Nobis in uſu eſt ptiſanam ex ſarſa parilla, cortice ligni gajaci, cum addita tamarindorum pulpa compoſitam exhibere: Semper utile erit perſpirationis curam diligentem ſervare.

§. 29. Quod ſpectat ad hydropem articulorum jam notum eſt cavum articulorum ſæpe mucilagine oleaginoſa abundare, idque effecit natura, ut quo fieri poſſit, facilior, promptiorque reddatur ipſorum motus, ſed ac- *Quid eſt articulorum hydrops.*

cidit haud raro, ut lymphaticorum humorum congeſtus fiat auctior & juſto permanentior ſive ob ſummum eorum lentorem, ſive ob impeditum refluxum, ſive ob aliam rationem, tunc ſequentia apparent ſymptomata. Dolet diſtenſa capſula ligamentoſa, motus primo difficilis, indeque impeditus eſt, cutis colorem non mutat, & ad loci contactum aquoſæ mollitudinis ſenſus habetur. Nec denegamus ob nimis diſtenſam cutim a multo collecto intra capſulam ſero fieri tumorem tactui minus cedentem, prout in digitorum phalangibus ortum hydropem facere non ſemel vidimus. Hunc morbum producit omne, quod lympham tenacem reddit, & intra capſulas articulares cogit. Sic vita iners, liquorum ſpirituoſorum, & carnium fumo ac ſale duratarum abuſus, ſanguis miaſmate venereo, ſcorbutico, varioloſo, morbillari, rheumatico, arthritico, &c. fœdatos, perſpirationis diuturnum impedimentum, & his ſimilia morbum pariunt. Optimis moribus ornata conjux mea annorum cir-

circiter 35. hoc articulorum hydrope laborat plurimis abhinc annis. Primo morbus apparuit in genu dextero, a quo loco diſceſſit, & occupavit omnes digitorum phalanges. Morbi cauſam vehementibus convulſionibus hyſtericis, vitæ admodum ſedentaneæ, atque lacticiniorum, carniumque ſale & fumo induratarum abuſui acceptam refero. Morbus æſtate mitior, hyeme ſævior eſt. Nullam hactenus medicamentorum virtutem inveni, qua ab internodiis digitorum hydropem expellere potui. Quando hydrops articulorum factus eſt, & diu perſeverat ſemper timendum, ne in ſuppurationem tendat morbus. Si enim ſuppuratio accidit, corrumpuntur cellularis, glandulæ, ligamenta, tendines, aliæquæ partes intra articulationem ſitæ, lenta febri inde corripitur æger, adeoque tabe conſumptus perit.

§. 30. Pro apta indicationis ſatisfactione convenit diſſipare congeſtam intra articulos lympham, atque debilitatam capſulam articularem roborare. Vidi enim in praxi pluries cu- *Articulorum hydropis curatio.*

 ra-

ratam affectionem, indeque repetitam propter debilitatam capſulam articularem. Quapropter ptiſanæ ex ſarſa parilla, cortice ligni guajaci, & ſennæ foliis paratæ, decoctionis bardanæ, aut juvæ arteticæ, pilularum ex extracto cicutæ, & pulvere antimonii confectarum diuturnus uſus ſummopere laudandus eſt. Vidi non ſemel profeciſſe thermalium hypochauſtorum, & frigidorum balineorum per ſimplicem immerſionem adhibitorum actionem. Balnea ex aqua gurgitelli, aut ex aqua maris, aut ex aqua dulci cum tartaro bononiæ copulata inſtituta ſummopere proficua ſunt. Ab his balneis ſolum nuper notata mea conjux levamen diuturni ſui morbi accipit. Stillicidium aquæ frigidæ pluries de die repetitum, ſupraque parte hydropica ab multa altitudine determinatum maximopere confert. Hoc ſolo remedio externe adhibito hydropem in genu factum curare ſoleo. Quando luis venereæ contagium eſt, tunc levibus adhibitis mercurialibus frictionibus, morbus cedere poteſt.

Poſt

Poſt diſſipatum hydropem oportet affectam partem remediis corroborantibus, & potiſſimum creta aquæ gurgitelli inſulæ Enariæ jugiter fovere. Nec vanum erit adhibito veſicatorio, inductaque cicatrice, aliquod capſulæ articularis robur procurare. Re quidem vera poſt adhibitum veſicatorium circa articulum, poſtque diſſipatam lympham, redire ad priſtinum ſtatum articuli figuram, ejuſque motum obſervamus, neque ab reditu morbi vexantur ægri, dummodo cauſis primum morbum conſtituentibus iterum non ſubjiciuntur. Ceterum remedia tranſpirationem juvantia utilia ſemper ſunt. Hæc ſive in diaphoreticorum interno uſu, ſive in veſtium ſumma cuſtodia recognoſcenda ſunt.

§. 31. Pauca nunc de hydrocele ſubnectimus. Quando circa teſtes congeritur lympha, tumoremque efficit, tunc efformatur hydrocele. At lympha colligi poteſt modo in tunica vaginali, modo ſcroti communi tunica cellulari, ſicque hydrops teſtis, & ſcroti efficitur. Quando morbus fa- *Quid hydrocele.*

ctus eſt jam figura ſcroti ab ovata in rotundam tranſit, cutis valde diſtenditur, & tactu concipit foveam ad inſtar œdematis. In vaginali hydrocele ſcroti cutis naturali flaccidior eſt, & tumor pyriformis deorſum latior apparet. Hujus morbi ortus ut plurimum a ſpermatocele eſt. Nam cum corporis teſticuli inflammatio accidit, ſane ejus irritatio, & fervor magnus vaporis in tunicam vaginalem magnam copiam allicit, qui humor eo vel maxime prodeſt, quoniam ſcilicet inflammatoriam duritiem emollire aptus ſit. Et haud denegamus ob ſummam duritiem teſtium ſuctoriam inhalantium canaliculorum per teſtium ſuperficiem diſperſorum vim debilitatam, aut penitus impeditam eſſe, ſicque ab arteriis exhalantibus humor exit, & intra vaginalem tunicam adunatur hydrocelem facturus. Et numquam ceſſare poteſt morbus, niſi durus emolliatur teſticulus. Sic obſervamus poſt ſcroti, & tunicæ vaginalis puncturam iterum reproduci morbum, nova ſtatim collecta intra

tunicas aqua. Quando diſſolvitur teſticuli durities, ſpermatoceleque diſſipatur, tunc ſponte fluunt aquæ, & hydrocele curatur. Cognoſcitur non amplius adeſſe ſpermatocele, dum tacto tumore ex parte ani ſuperius verſus funiculum ſpermaticum, in qua ſede nulla adeſt tunica vaginalis, obſervatur liber teſtis, neque dolens, neque durus. Hinc ſedulo advertendum, ne ab ſcroto, aut vaginali tunica extrahantur aquæ, permanente teſtis duritie. Id ſane morbi conditionem deteriorem reddere poſſet.

§. 32. Curatur ſpermatocele ſanguinis repetita miſſione, remediis antiphlogiſticis, veluti lactis ſero aqua ſambuci diluto, emulſionibus ſeminum frigidorum majorum, aqua chamæmeli ſirupo violarum edulcorata & his ſimilibus. Affectæ parti panatellam ex panis mica in aqua Domini Goulard emollita confectam cum fructu adhibemus. Et permanente teſtis duritie haud vanum erit vapori aceti partem exponere, atque levi mercuriali unguento inungere. Quando diſſipatur ſper-

Spermatocele quomodo curari debet.

ſpermatocele, tunc apta inſtituitur hydroceles curatio. Alga marina arida hydropicus tumor cooperiendus eſt, qua creditur exſiccari humor aperta admodum perſpiratione. Et haud ſine emolumento cretam ex aqua gurgitelli ad cooperiendam partem affectam præſcribimus. Vidi laterum pulverem cum aceto copulatum magnum eſſe remedium. Remediorum diureticorum efficacia admodum eſt celebranda. Præſtat uſus cremoris tartari in aqua florum verbaſci ſoluti, & ſemper utile erit aliquot grana mercurii dulcis cum parva quantitate pulveris rhabarbari adhibere. Hæc remedia eo ſunt opportuniora, quo aquarum collectio in cellulari ſcroti fiat. Perſiſtente hydrocelis pertinacia in ferri opera auxilium quærendum eſt. Perforandus eſt acu Sylviana tumor usque ad aquæ ſedem, & omnino aqua educenda eſt. Sed haud denegamus, aquarum redire collectionem, perſiſtente teſtis duritie: tunc iterum, tertio, quartove reiteranda eſt punctura, quæ inſtituitur ad tollendum potius

tius aquarum pondus, quam ad morbum radicitus curandum. Neque deſunt, qui laudant ſcirrhoſi teſtis totalem extirpationem, quod in diuturno hydrocele partium putrefactionem minitante a dexterrimo chirurgo cum ægrotantis cura factum feliciter eſſe ſuperiori menſe vidimus. Quando accidit teſtis ſuppuratio chirurgi opera tentanda eſt puris eductio, & inflammationi in gangrænam tendenti, aut potentiſſimis antiſepticis, veluti decocto chinchinæ frigido & ſpiritu vitrioli dulcis, aut completa deviratione medendus eſt.

ARTICULUS VIII.

Scirrhus. Struma.

§. 33. TUmorum duorum ſequitur deſcriptio. Scirrhus eſt tumor ferox pene ſemper irreſolubilis, durus, indolens ac parvo ſenſim increſcens tumore. Adoritur ut plurimum partes glanduloſas. Sed præter has poteſt & viſcera quoque occu- *Quid ſcirrhus.*

cupare, ut hepar, lienem, uterum, &c. Non deſunt in medicina exempla, quibus oſtenditur veſicam urinariam, inteſtina, aliaſque hujuſmodi partes ſcirrhoſas factas eſſe. Inter externas partes primo occupat labia, linguam, mammas &c. Incipit a parvo tumore, & ſenſim augetur ad non mediocrem magnitudinem. Quando adolevit, maturitatemque veluti adeptus eſt attrahit ad ſe vicinas carnes arcteque attingit. Tunc cutis color, qui nondum mutatus erat, jam incipit ad lividum vergere, & ſi nullus adhuc ſenſus in tumore percipiebatur, jam dolor apparet ſævus & lancinans. Venæ circa affectam partem ſunt varicoſæ, & lividæ, ſcirrhuſque, quo creſcit, eo adhærentior, immobiliorque evadit. Hoc eſt *carcinoma*, ſive occultus cancer, & hæc tumoris ſpecies indicat teterrimi veneni indolem, cui debetur partis exulceratio, & tranſitus occulti cancri in manifeſtum, & apertum. Hinc merito ſagaces timent medici, ne contenta in ſcirrho materies acris, & corroſiva

va evadat. Sic enim cum ſummo lentore acerrimus conjungitur humor, nullaque arte emendabilis evadit. Hinc apparet ſcirrhi materiam conſtituere venenum peculiaris naturæ, quo in dies fit ſemper congeſtæ materiei inſpiſſatio, ac veluti coadunatio. Et uſque dum ſcirrhus minime dolere incipiat facile tolerari poteſt per menſes, & annos. Per quadraginta & plures annos mulieres in mammis, & utero, & in hepate, ac liene ſcirrhum geſtare quotidiana experientia docet.

§. 34. Cum veteres viderent ſcirrhum frequentem eſſe morbum eorum, qui melancholico gaudentes temperamento abundant atrabilario humore, putarunt morbi cauſam eſſe atram bilem collectam intra cellularem potiſſimum glandularum, cujus ſolutioni, emendationique nulla opportunior invenitur medicina. Si loco hujusmodi humoris accipiatur iners, lentaque materies veluti eſt terra, & oleum noſtri ſanguinis, quæ ſuo expoliata humido aquoſo in denſum, irreſolubileque

Quæritur proxima ſcirrhi cauſa.

que coagulum abire ſolet, ſane haberi poteſt ipſius morbi proxima cauſa. Re quidem vera mulieres tumorem quemcumque mammarum curantes admotis ſpiritu vini, & remediis calefacientibus, quibus fluidiora ſemper diſſipantur, tunc incidunt in ſcirrhum. Et inflammationis ſequela factus ſcirrhus efficitur ob auctum motum circulatorium ſanguinis, obque diſſipationem fluidarum particularum. Nec denegamus immiſceri aliquando contentæ intra tumorem materiæ venenum peculiaris naturæ, quod, adveniente quacumque cauſa, aliquam fermentationis ſpeciem excitare valet, ſicque in putredinem convertitur tumor. Nec putredo dignoſcitur ex odore admodum fætido, ex livido, & pene nigro cutis colore, exque lancinanti, & pene intolerando dolore, exque humore admodum degeneri & fætido, qui fluit ab aperto jam ulcere. Hic eſt jam cancer manifeſtus. Nam ab aucta preſſione, quem mammis ſcirrho affectis arcta loricarum adplicatione adhibent mulieres, ab magno animi diu-

diutornoque pathemate, abque mala victus, præſertim carnium, & liquorum ſpirituoſorum ratione & enaſci ſcirrrhum, & in cancrum commutari ſæpiſſime obſervamus (*x*).

§. 35.

(x) Nulli dubium eſſe poteſt inter tumores teterrimum & nullius pene curationis capacem eſſe cancrum, qui dicitur tumor durus, inæqualis, aſper, admodum dolens. Incipit a parvo tumore ita ut aliquando ciceris vel piſi magnitudinem initio vix excedat. Cutis colorem fuſcum, nigrumque cancer habet, & circumquaque venas lividas ac tumidas cancri (cujus nomen ſortitum eſt) pedes referentes gerit. Tandem aperitur cutis, & ulcus malignum, craſſum, horrendum, fœdum, fœtidumque efformatur, cujus ulceris labia tumida, retorrida, duraque ſunt, ac humorem virulentum effundunt. Hic eſt cancer manifeſtus. Hæc omnia juxta Gorteri monita loc. cit. p. 190. aperte indicant pinguedinem longa putredine in ſummam acrimoniam converſam, ſimulque tenacem, & piceam, in cellulari glandulæ diu hærentem cancri cauſam efficere. Hæc degener materies, aut cujuſcumque naturæ ſit venenum cancrum efficiens, nulla adhuc arte emendari poteſt. Hujuſmodi cancri venenum haud raro circulantibus immiſcetur humoribus, & conſimiles inficit glandularum ſubſtantias. Sic ab una mu-

Scirrhi curatio. §. 35. Hujus morbi curationem abſolvunt remedia, quæ valent tantam humo-

mulieris mamma ad aliam tranſit frequenter cancer. Et ex vehementi, quæ nervis inducitur, irritatione intelligitur ratio, cur intolerando dolore ægri manifeſto cancro affecti jugiter vexentur; curque lenta febri conſumentur propter admixtum circulantibus humoribus cancri venenum. Hujus morbi eradicativam curationem facere tantum poteſt ablatio, qua inſtituitur tollendo ſimul & ſemel cancrum, quod tantum fieri poteſt, ſi tumor ſit ſolitarius, & nullo firmo nexu vicinis, & magni uſus partibus adligatus, nec indicia adſint cancroſa labe circulantes humores infici. Hoc enim in caſu nec abſcindi poteſt tumor quin peſſundentur partes vitæ neceſſariæ, & nil juvat ſi ab uno loco auferatur cancer, dum in alium locum ſævior, & pertinacior oriatur. Vidi ſuperiori anno pulcherrimam virginem annorum 20. in ſiniſtra mamma cancro facto laborantem, cui dexterrimus chirurgus ſumma diligentia extraxit tumorem malignum ſummum dolorem virgini inferentem. Poſt duos menſes alius ſævior cancer in dextera mamma enatus eſt, & febricula lenta adparuit cum tuſſi & gravi reſpirandi difficultate copulata, a qua febri poſt tres menſes jam tabida facta interficiebatur. Ceterum ſi ablatio tentanda eſt, auferenda omnis tumoris eſt radix, & omne quod

morum concretionem diſſipare. Quapropter ſerum lactis, aquæ antivene-
H reæ,

quod eſt cancroſum deſtruendum. Quapropter juvat non ſtatim ſiſtere hæmorrhagiam, nec levibus corroſivis, & adſtringentibus parcere. Quando vero cancer tolli non poteſt, convenit cura palliativa, quæ conſiſtit in minuendo dolore, & impediendo nimium cancri progreſſum. Aqua tepidiuſcula, in qua aut chamæmelum, aut althæa, aut malva, aut fœnu græci incocta ſint, cancer apertus jugiter eſt fovendus, & haud raro ſævientibus nimis doloribus, oportet petias opiato imbutas remedio tumori admovere. Aut belladonnam, aut ſolanum cum fructu adplicatum eſſe nonnulli adſerunt. Internorum remediorum diluentium, & temperantium uſus laudandus eſt. Sic ſerum lactis, aquas antivenereas, balinea frigidiuſcula, olera, fructus horæos, chiuchinæ decoctionem ſpiritu ſalis dulci infectam, ipſam lacteam diætam, atque alia hujuſmodi fidenti animo præſcribimus. In incipienti cancro cum magno fructu generoſam extracti cicutæ doſim propinare ſolemus. Qui bufones vivos cancro admoverunt hac ratione, ut ab ipſis ſugeretur venenatus ichor manans ab aperto ulcere, omnino a malo rei eventu tamquam agyrtæ disjecti ſunt. Nec apud nos lacertarum uſus internus ex voto ceſſit. Certe ſtatuere poſſumus, pene ſemper cancro palliativam curam convenire ſolere.

reæ, ſalia inciſiva, veluti polychreſtum, flores ſalis ammoniaci, omnia ſaponacea, gummata amara, veluti ſagapenum, bdellium, ammoniacum &c. optima ſunt. Sed præ omnibus valet extractum cicutæ, cujus doſis ad drachmas duas qualibet vice exhibitas debet eſſe, & per menſes protrahenda. Verum fateri poſſumus, quod ſive hæc, ſive alia remedia, quæ pro curando ſcirrho præſcribi ſoleat, nonniſi prudenti manu experiri debemus: hæc enim inutilia nos invenire ſolemus. Et ſi ſimul & ſemel ſcirrhus tolli poteſt, tunc tantum curationem admittit. Et ablatio ſimul & ſemel facienda eſt radicitus tumorem extirpando, ne aliquid remaneat, quod poſſit in cancrum commutari. Quod ſi aut tumor, aut locus, in quo jacet tumor operationem non admittit, tunc ſinendus eſt, & aptatis remediis emollientibus leviterque diſſolventibus, veluti ſunt ſerum lactis, decoctiones graminis, aquæ antivenereæ, aquæ thermales, balinea frigidiuſcula & his ſimilia, tractandus eſt. Diligentiſſima victus

ra-

ratio quoque imperanda eſt, qua olerum, & fructuum horæorum uſus tantum concedendus eſt. Sic obſervamus frequenter ſcirrhos diu eſſe geſtatos abſque ullo apparenti incommodo. Nunc meæ committitur curationi mulier annum 50. agens, quæ ſcirrho uteri laborat. Hæc mihi narrat ſæpe ſe morbum pati ab anno 25., & licet perductus ſit tumor ad inſignem magnitudinem, tamen ægra optimo faciei colore, bona totius corporis nutritione, gaudet, ceteraſque vitæ functiones rite exſequitur. Vidi frequenter ſcirrhum hepatis ruditer tractatum, & vehementibus deobſtruentibus remediis curatum cito in carcinoma converti, mortemque ægrotantibus inferre. Nec verum eſt quod vulgo affertur de virtute extracti cicutæ ſcirrhum tuto curante. Apud nos enim tanti remedii efficacia fruſtranea eſt ſemper obſervata.

§. 36. Dicendum nunc eſt de ſtruma. Frigidus tumor & durus eſt ſtruma, quæ ut plurimum invadit glandulas ſalivales conglomeratas, uti pa- *Quid eſt ſtruma.*

rotides, tonſillas, thyroideam, mammas, meſenterium, aliaſque hujusmodi partes. Diſcrimen a ſcrophula ideo habere creditur, quoniam ſcilicet invadere hæc videtur glandulas colli lymphaticas, & eſt re vera ſcrophula tumorum congeries. Glandulæ admodum ſunt duræ, & ſervant veluti caſeoſam, albam, denſamque materiam, cujus pertinacia primitiva glandularum fabrica deſtruitur. Sæpe ſcrophuloſus humor circulantibus eſt miſtus humoribus, ſicque plures inficiuntur glandulæ. Nam ſcrophuloſum venenum ejus eſt ſemper indolis, ut lympham coagulare valeat, & glandularum fabricam pervertere, ac peſſundare admodum par ſit. Quod ſi hoc veneno meſenterii glandulæ tanguntur jam ob nutritionis defectum ægri in malo vitæ ſtatu conſtituti, ac veluti tabe confecti moriuntur. Strumoſus tumor indolens eſt, & glandulæ fabrica hoc morbo correpta tantam non ſuſcipit alterationem perturbationemque ut curari non poſſit. Retropulſa ſcabies, venenum morbillare,

re, & varioloſum non bene curatum; cruſtæ lacteæ mala depuratio, ſuppreſſus conſuetus ab veteri ulcere manans ichor; aut ſuſceptum; aut gentilitium gallicum venenum; mala victus ratio; tranſpirationis impedimentum diu corpus perturbans, aliæq. id genus cauſæ ſtrumas parere poſſunt. Hujuſmodi tumores difficilis ſunt ſemper curationis; & vidi haud raro ſcrophulas, & ſtrumas tota vita fuiſſe geſtatas: Nec denegamus fædatos ſcrophuloſo, & ſtrumoſo veneno humores circulantes, factumque in dies morbum ſæviorem, ac obortam febrim lentam, ægri tabem, ac mortem excipere.

Strumæ curatio. §. 37. Quando ſtrumæ cauſam veneream recognoſcunt mercurialium uſu curandæ ſunt. Juvat & peculiari, & generali hydrargyroſi morbum curare. Semper utile erit adplicatis, aut malva, aut emplaſtro de mucilagine, aut de meliloto, aut ex cocta cæpa ſub cineribus cum addito levi panis fermento efformato cataplaſmate ſtrumæ aut ſcrophulæ ſuppurationem procurare. At numquam morbi, de quo

ſermo eſt, curatio rite obtinebitur, niſi facta prius generali humorum depuratione. Hinc aquæ antivenereæ, ptiſanæ ex iiſdem lignis indianis compoſitæ, aquæ acidulæ præſertim annuente æſtiva tempeſtate, ſerum lactis depuratiſſimum, lac ipſum, aut lactea diæta, herbæ antiſcorbuticæ, veluti cochlearia, naſturtium, acetoſella &c., ſtatim in uſu eſſe poſſunt. Pro conſueto cibo olera, & fructus horæi conveniunt. Extractum cicutæ cum addito pulvere antimonii non ſine fructu exhibere ſolemus. Quapropter ejuſdem extracti drachmæ duæ, & antimonii pulveris grana triginta quolibet die danda ſunt, & per plures menſes protrahenda. Inter noſtrates cordatiores medicos ad obſtinatas ſcrophulas, & ſtrumas curandas laudant uvam, quam nos vulgo *aglianicam* dicimus, eamque ſummo mane rore madidam, ad decem libras quolibet die manducandam jubent. Nec hoc remedii genus nos præſcripſiſſe pœnituit. Sublimati corroſivi ad grana duo qualibet vice in multa aquæ fon-

fontis quantitate ſoluti laudant nonnulli. At hoc remedium non niſi tentabunda manu, & ſemper cum lacte copulatum propinari debet. Semper enim ſubeſt timor ne diſſolutum ſcrophuloſum & ſtrumoſum venenum pulmones, aut alia magni uſus viſcera obſideat. Ceterum non inutile erit ſcrophulas & ſtrumas emplaſtro cicutæ obtegere, & vidi non inutilem urinam recenter emiſſam pluries de die affectæ parti admotam. Et ſunt inter peritos noſtrates practicos nonnulli, qui ſancte mihi teſtari ſolent, ſe interno, & diuturno urinæ recentis uſu ſcrophulas, & ſtrumas non ſemel curaviſſe. Adoleſcentulo ab ineunte ætate ſcrophulas gerenti poſtquam hactenus expoſita remedia incaſſum adhibuerim, lacertulas ſuperiori menſe dedi, & jam prope eſt quadrageſimus dies ab incæpto lacertarum uſu, nec aliqua ſalutis ſpes elucet. Videtur remedium hactenus fuiſſe inutile tentatum.

ARTICULUS IX.

Polypus. Condyloma. Verruca.

Quid polypus? §. 38. DEſcribuntur ſarcomatoſi tumores. Eſt polypus carnoſus, mollis, ramoſus, ſpongioſusque tumor frequenter in naribus creſcens. Nec denegamus ipſum tumorem poſſe in aliis partibus efformari. Non raro in utero fit; quemadmodum quotidiana oſtendit obſervatio. Quando occupat vel utraſque nares, vel alterutram, jam vias ſpiritui exaſperat, & extenſus uſque ad fauces non raro ſuffocationem minitatur. Ex quo ſit ut caput gravetur, ſtomachuſque ad nauſeam, & vomitum incitetur. Polypus non uno procedit modo; quibuſdam lentius, nonnullisque tardius procedit; Quibuſdam non multum augetur, aliiſque excreſcit ad inſignem magnitudinem ita ut ad usque fauces, & extra labia oris producatur. Nec novum eſt videre enatum intra uterum polypum propendere extra vaginæ labia. Quando poly-

lypus eſt faciendus, ſemper enatum ulcuſculum præcedit, cui venenum infigitur morbo iam nutritionem facere aptum, & in carnem inutilem tumorem excreſcere facit. Nam primo inflammat, mox leviter epidermidem ulcerat, & quod excreturum eſt, ablata epidermidis reſiſtentia, emergit. Sic accidit ut ſenſim ſenſimque concreto ſanguine, & in fibroſum contextum aptato malam nutritionem veluti carneam nacto, polypus efficiatur. Et in utero menſtrui ſanguinis modo copioſius, modo moderatius; ſed per ſingulos dies fluentis caſu facta adunatio, tunc accidit aut molæ, aut polypi efformatio, juxta diverſam particularum ſanguinis combinationem, & tumoris diverſam figuram. Nec raro hujuſmodi polypi in utero generatio conceptionem mentitur; quæ vel ſolertes medicos decipere ſolet. Cum vero poſt quartum, quintum, aut ſextum menſem concuſſo utero mulier abortum patiatur, jam de falſæ graviditatis conditione medicum monitum reddit. Poteſt id accidere, dum

dum creſcente admodum polypo uterus tamquam ſi à vero fœtu diſtenderetur, diſtenſionem magnam patitur, cui ſuccedit irritatio, quam ſequitur magna uteri contractio; & polypi expulſio.

Polypi curatio. §. 39. In curatione non modo convenit tollere quod excretum eſt, ſed & baſis purganda eſt ab ea, qua veluti labe inficitur. Si parvus, & recens eſt polypus, pulvere ſabinæ aut alio levi catheretico eſt obtegendus, quo paulatim conſumitur, idque repetitis vicibus eſt faciendum donec penitus abſumitur. Si vero polypus & durior, & grandior invenitur, videndum an comprehendi, & extrahi forcipe poſſit. Nam ſolet nonnullis polypi radix eſſe exilis, & tenuis; & ubi leviter diſcutitur rumpitur, & polypus decidit. Si polypi extractionem multa excipit hæmorrhagia, hæc eſt ſiſtenda frigida aqua gummi laccæ ſolutione infecta & ſiphone intra nares immiſſa. Si vero polypi radix renitens admodum ſit expectandum eſt, dummodo imminentem non minatur ſuf-

ſuffocationem, ut matureſcat, ſicque facilius extrahi poteſt. Qui ignem metallica cannula obtectum polypo adhibent non totam operationem faciunt. Nam præter quam quod vicinis partibus ſanis aliquam infert ignis læſionem, ſed phagædenicum ulcus nulla pene arte emendabile in polypo excitat, quo ulcere ſibi & adſtantibus ægri infelices vivunt. Ita fortioribus cathereticis eſt valedicendum, ne factum polypi venenum actuoſius, ipſa polypoſa caro flaccidior, mollior, ſimulque exulcerata evadat, inque fœdiſſimum tranſeat ulcus. Hoc ſi acciderit foverda ſæpius de die eſt pars aut aqua Domini Goulard parum aluminata, aut aqua calcis vivæ. Convenit internorum remediorum univerſi corporis depurationem facientium uſum experiri. Lacteam idcirco diætam, aquas antivenereas, balinea frigidiuſcula, & his ſimilia præſcribenda ſunt. Si in utero factus ſit polypus, atque totus intra ejus cavum ſervatur, tunc tempus eſt expectandum, ut maturitatem adipiſcatur, qua ad-

adparente adhibitis medicamentis ſternutationem moventibus, levibus emmenagogis, veluti mirrha, & ariſtolochia rotunda, motu rheda per viam ſilice ſtratam ducta instituto polypus eſt exturbandus. Si polypi eductionem excipiat uteri hæmorrhagia hæc ſiſtenda frigidæ uſu interno, ſumma corporis, animique quiete, gummi laccæ ſolutione intra uterum immiſſa. Nec vanum erit digitis butyro illitis uteri orificium leviter aperire, ut quo citius extrahatur corpus utero comprehenſum. Quod ſi appendix aliqua polypoſa extra uteri orificium pendet, ea primo tenia aliqua latiuſcula prope uteri os deliganda, deinde tamquam ſuſpenſa manu prehendendus, & leviter diſcutiendus, & extrahendus eſt polypus. Modos ligandi varios polypos recentiores docent chirurgi (y).

§. 40.

(y) Pro hujus articuli coronide ſit fungus articuli, & carneus veluti tumor adnaſcens aliquibus corporis partibus. Nimirum ab extremo oſſis aliquando caro excreſcit fungiforma

§. 40. Condyloma tumor eſt durus modo fici, modo thymi apicis figuram *Quid condyloma.*

ma, quæ cavum articuli invadens in magnum diſtendit tumorem mutato articuli colore. Diſtinguunt medici hunc morbum ab abſceſſu, & hydrope articuli ex eo, quod, neque mollitudinem elaſticam hydropi ſimilem, neque fluctuationem ſimilem abſceſſui oſtendit. Sed perſentitur aliquid cornoſum implens articulationem parum dolens, & febrim excitans. Hanc febrim totius corporis pallor & multa ſequitur macies. Producitur a carie oſſis extremitatem occupante, quæ caries vel a ſcorbutico, vel a venereo, vel alio id genus veneno oſſibus inimico fit. Morbi indoles eſt ea, ut ſi a perito aperiatur chirurgo, reſectis repaculis in articulatione ſitis funcoſa caro excreſcit, & aëris acceſſu corrumpitur; quapropter accenditur magis febris, corporis conſumptio augetur, morſque tandem venit. Semper itaque utile erit fungos non aperire, ſed ſolo balneo aqua & aceto parato, hydrargyroſi, ſi venerei veneni ſuſpicio adſit, articuli quiete, & proba victus ratione tractari ſolet. Aliquando modo huic, modo alteri corporis parti adnaſcere tumor ſolet, cujus indoles carnoſa exterius inſpecta apparet. Tumor ſolet in immenſum excreſcere, & modo eſt ſimplex, modo varias ſecum tenet appendices. Superficies ejus & ſcabra, & in varias finditur rimas, color ſublividus, nulla

niſi

ram referens digitorum internodios, & ani coronam ut plurimum occupans.

---

niſi carnoſa durities. Quando diſſecatur, licet quod concluſum eſt totum eſt pinguedinoſum, tamen conſiſtentiam carnis habet, quæ caro modo ſubflava, modo ſubfuſca eſt. Multæ & peramplæ in hac carne ſervantur cellulæ ſubflavi humoris craſſiuſculi quantitatem continentes. Nulla eſt pars corporis, in qua non oritur tumor hujuſmodi. Sæpe autem reperitur in collo, lateribus, ventre, natibus, & pudendis. Baſim ſemper habet in membrana cellulari, in qua colligitur humor vegetationi aptus, quo in præternaturalem molem tumor excreſcit, & circa tumorem diſſipantur peramplæ venæ licet intrinſecus ſervat non magnas arterias, ita ut mirum cuicumque videatur magnum tumorem a parvis arteriis nutrimentum ſumere. Mirum dictu eſt in quantam molem hujuſmodi tumores excreſcere poſſint. Superiori menſe videbamus mulierem annorum 50. in incurabilium noſocomio degentem, quæ a perineo hujuſmodi tumorem pendentem habebat. Tantæ erat molis, ut ſublevari, & ſuſpendi a nobis minime potuerit. Ab dexterrimo chirurgo abſciſſum tumorem æquare pondus 34. librarum vidimus. Si diutius perdurat tumor caro pinguedine dives putreſcit, putrefactaque febrim excitat, a qua non raro ægri interficiuntur. Hunc diſſolvere tumorem eſt impoſ-

pans. Pro ratione inflammationis, & duritiei, quam comitem habet variam con-

poſſibile; quæ enim concreta eſt materies, & extra vaſa effunditur morboſam nutritionem paritura nec diſſolvi, nec corroſivis remediis deſtrui poteſt. Unica igitur exstat ſpes in diſſectione. Ut autem in diſſectione magni hujus tumoris impediatur hæmorrhagia, vaſa arctanda ſunt, quæ in tumorem a baſi penetrant. Accedit his, quod corpus debet aſſuefieri vaſa reliqua habere pleniora eo ſanguine, qui a tumoris magni ſectione revehitur, ne fiat repentinus ſanguinis in cor refluxus multam vitæ, & ſanitatis læſionem paritnrus. Itaque latiuſcula tenia ſerica tres, aut quatuor ante diſſectionem dies ita coarctanda ſunt in baſi vaſa, ut tumor tantum recipiat ſanguinis, quantum ſufficiat alendæ in eo vitæ. Non enim multum arctanda ſunt vaſa, ut penitus intercipiatur vita, qua deficiente in putredinem faceſſit tumor. Quando eſt tumor diſſecandus debet ſemper eſſe innocentiſſimus. Sectio ſummo mane, & jejuno ſtomacho facienda eſt, & poſt ſectionem aliquid temporis exeunti ſanguini eſt concedendum, ut vaſa in ulcus inania concidant, deinde linamentum ovi albumine ſpiritu vini conquaſſato imbutum adplicandum, quod operiri debent quadruplicata lintea eodem ſpiritu vini imbuta, omneque apta eſt deligandum faſcia. Poſt hæc ægro in lectum poſito, & ſim-

condylomatis deſumimus indolem. Semper eſt periculoſius diuturnius, durius, & id quod ſcirrhi naturam refert, & lividum colorem repreſentat. Cauſam morbus ſemper ſupponit acrem materiem ani coronam invadentem, quæ irritando ſenſibilem ſedem glandulis & cellulari divitem nutritionem morboſam parit aptam coſtituendo tumori. Si eſt in cauſa materies ſcorbutica ut plurimum tumor eſt parum durus, pruriginoſus, rubicundus, & aliquam inflammationem ſecum conjunctam habet. Effunditur ab tumore acre ſerum, atque haud raro in phagædenicum ulcus commutatur. Quod vero in lue venerea cauſam habet ſemper eſt durius, calloſiuſque condyloma, nec facile in ulcus, ac in putridum, & verminoſum tumorem commutatur. Quando condyloma eſt re-

ſimplici aquæ bibendæ addicto ſanguis mittendus, & tantum expectandum donec ſuppuratio in ulnere appareat. Qua apparente ſuppuratione tractandum eſt ulnus, ut ad cicatricem perveniat.

recens & parvum cathereticis eſt remediis deſtruendum. Quibus turgent nimis, & dolent, uvæque acinis paria ſunt condylomata optimum remedium adhibendum in aqua frigida ſæpius de die affectæ ſedi adnota ope ſpongiæ. Si vero condyloma magnam habet baſim, & rhagades ſanguinem & ſerum effundentes tenet, tunc poſtquam ſufficienter balneo aquæ frigidæ lotum fuerit, cooperiendum plumaceolis aqua vegeto minerali imbutis. Et ipſam contritam nivem, parti adplicare debemus ſi ſanguinem effundit: nam ſtiptica medicamenta periculoſa ſunt tamquam faciendæ eſcharæ opportuna, eaque eſchara decidente remanet ulcus periculoſum. Dolenti admodum tumori juvat admovere virens hyoſciami folium. Quod ſi ex venerea fiat labe forfice eſt radicitus reſecindendum, ſanguineque aliquatenus educto, vivo igne baſis adurenda, ne iterum repullulet condyloma. Uſtioni factæ adplicandum eſt butyrum inſulſum uſque dum decidat eſchara. Hac decidente com-

I mu-

muni digeſtivo aliqua mercurii vivi portione infecto partem mederi oportet uſque dum ad cicatricem perveniat. Alvus, durante hac curatione, melle, ſirupo violarum, aut ſarſa ſolutiva, caſſia recenter extracta, fructuum horæorum eſu & his ſimilibus lubrica ſervanda eſt.

Quid eſt verruca? §. 41. Verruca demum eſt tuberculum ſoli cuti adnaſcens durum, ſine ſenſu, paulatim creſcens. Dicunt vulgo *porrum*. Hujus indoles benigna eſt, quando non dolet non admodum excreſcit, & niſi baſis ſecatur ſanguinem non effundit. Maligna verrucarum natura apparet ex præſentia doloris, lividi coloris, & ex facili ſanguinis eductione. Hæ verrucæ facile in cancroſum commutantur ulcus. Hujuſmodi morbus ſuo non caret contagio, quod communicatur per linteorum, quibus abſterguntur verrucoſi, communem uſum, ut certis conſtat experimentis. Quando ſponte oriuntur verrucæ dicendum elementa verrucarum in ſanguine hærere, atque in datam cutis partem venire morboſam

ſam vegetationem factura, illæſis nervis, & ſolum vaſis affectis, aliter eſſet in verruca ſenſus. Nec novum eſt videre verrucas venereæ luis ſymptomata eſſe, quæ quando accidunt ceteris rubicundiores, & molliores ſunt. Puoris ruri degentibus verrucoſus affectus eſt familiaris. Haud raro verrucæ benignæ nullam expoſcunt curationem; deſtructa enim veneni natura ſponte exſiccantur, & decidunt. Ceterum in hunc modum curandæ ſunt. Marinæ aquæ ablutione ſæpe emollire verrucas convenit, ex qua aqua tactæ exſiccantur & decidunt. Si multum ſunt duræ & calloſæ tangendæ ſunt oleo ſeptico, apto pennicillo adhibito, ut vicinæ & ſanæ partes a cauſtico non lædantur. Quando ita ſunt tactæ expectandum, ut decidant, tuncque ipſa baſis cauſtico conſumenda eſt, ne iterum repullulent. Si malignæ ſunt verrucæ, baſimque tenuem habent, tenui filo ligandæ, indeque recidendæ ſunt, & unguento tutiæ cicatricem parti dare convenit. Si autem baſim habent am-

plam, & multum dolent melius eſt eas non attingere, ne arte adhibita cancerosi ulceris acceleratio fiat. Quando in venerea lue cauſam recognoſcunt, tunc ſi tenuem habent baſim forfice ſunt abſcindendæ, & cicatrix dehinc deſtruenda eſt remediis cathereticis ſemper cum mercurialibus conjunctis. Si vero tenent amplam baſim, tunc lapide infernali ſunt tangendæ, & poſtquam decidet eſchara, adhibito mercurio dulci cum pulvere oculorum cancrorum copulato procuratur partis opportuna cicatrix.

ARTICULUS X.

Tumores Oſſium.

Quid pædarthrocace. §. 42. Oſſa licet ſint noſtri corporis duriſſimæ, ac firmiſſimæ partes, tamen iiſdem, quibus molles partes, ſubjiciuntur morbis. Fuerunt oſſa generationis initio mere glutinoſa, & licet tractu temporis firmam duritiem contraxerint, tamen numquam deſtituuntur

tur multo vaſorum concurſu, quæ vaſa per laminas miro ordine decurrentia nutrimentum, & vitam eis afferunt. Sic factum eſt, ut per hæc vaſa deveniens cujuſcumque indolis ſit venenum oſſium medullam, & laminas emollire, putrefacere, ac deſtruere aptum, varii inde oriuntur morbi oſſium. Re quidem vera non deſunt exempla quotidie oſſium tumentium, & ita emollitorum, ut referant carneam conſiſtentiam (z). Et alia oſſium vitia frequenter medicis occurrunt. Nos vero brevitati inſerviturì heic tantum adumbrabimus ſpinam ventoſam, exoſtoſim, & gummi. Nam de rachitide alibi verba faciemus (Tract. de morb. puer.). Spinam ventoſam quoad ſcimus primo deſcripſit Rhazes Medicus Arabus, qui ideo hunc morbum oſſis peculiarem vocavit *ſpinam ventoſam*, quoniam ſcilicet ægri in oſſe ſentiunt dolorem tamquam ſi acuta ſpina intra carnes figeretur, & ex aut ſpon-

(z) Adire poteſtis adoleſcentes D. Petit de morbis oſſium benemeritiſſimum ſcriptorem.

tanea, aut artefacta tumoris apertura exire vidit ventum. Hunc morbum maluit melius vocare *Pædarthrocacem* Marcus Aurelius noſter, quaſi diceret puerorum ad articulos affectum peculiarem. Morbus ſuis ſemper ludit ſymptomatibus. Epiphyſis oſſis primo incipit dolere, inde tumere, nec adhuc obſervatur ulla loci mutatio. Proximi vero apparet articuli debilitas, & ſi morbus procedit ſine ulla loci affecti mutatione, ſine nutritionis totius corpori læſione procedit; niſi quod ſingularis durities in affecta parte percipiatur. Quando incipit rubere & dolere tumor, tunc etiam molleſcit, & ſuppurationis veluti indicia exhibet. Dolor eſt eo in tempore fixus, & ſi os veluti fracturam pateretur excrucians perſentitur. Et ſive ſponte, ſive arte aperitur tumor materia corrupta exit, cui immiſcentur fruſtula ſemicartilaginoſa, vel ſanguinolenta; & hanc humoris degeneris eductionem nulla ſequitur partis ad curationem diſpoſitio. Sæpe veteribus ſemper novis accedentibus ſup-

pu-

purationibus, tandem febris lenta, macies univerſi corporis apparet, indeque ſequitur mors. Et ſic morbus eo vel maxime hunc funeſtum habet finem, quia oſſis corruptio majori cum impetu adfligit. Manus & pedes facillime invadit, quæ loca pro ratione, qua facile tractari ſolent, & admodum vitiata amputari poſſunt, reddunt morbum minus exitioſum. Quando invadit cubitum, genu, & coſtas circa ſterni regionem ſemper periculoſior eſt morbus (*a*).

I 4 §. 43.

(a) Nulli dubium eſſe poteſt pro conſtituenda pædarthrocace requiri peculiare venenum diverſum ab eo, quod facit in oſſe cariem, exoſtoſim, & rachitidem. Morbum, de quo nunc ſermo eſt, venenum peculiare facit, quod videtur cartilagineam oſſium extremitatem in indolem ſcirrhoſam in cancroſam vergentem commutare. Omnia ſane pædarthrocacis phænomena id oſtendunt. Credit Gorterus oſſis medullæ corruptionem proximam morbi cauſam conſtituere. Hanc medullæ corruptionem facere ſolet diuturnior ſtagnatio, oſſium contuſio vaſa medullæ deſtruens, veneni cujuſdam ſc: ſcorbutici, rachitici, extanthematici, venerei &c. intra me-

Pædarthrocacis curatio.

§. 43. Hujus morbi difficilis curatio in hunc modum eſt inſtituenda. Un-

medullam determinatio; membranæ medullæ inflammatio; & his ſimiles cauſæ. Sic medulla corrupta abit in putridum ichorem, quo cellulæ deſtruuntur, & impeditur ipſius medullæ renovatio, oſſium interna ſuperficies, & præſertim circa apophyſim corroſio incipit. Hæc corruptio ſenſim proſerpit circa lamellas oſſium exteriores, & accedit ad perioſtium. Hinc incipiunt tumere oſſa, & dolere. Qui dolor tactu digitorum non augetur, ſed tantum creſcit motu articuli, & lecti tempore. Quod ſi poſt apertum tumorem hujusmodi obſervatur oſſium fruſtulorum ſanguineorum, & ſpongioſorum; flatuſque eductio, id non niſi medullæ corruptionis conſequens eſt. Et materies ſic admodum degenerata circulantibus mixta humoribus alios invadere poteſt articulos; ſicque obſervatur plures articulos hoc morbo affici. Apparet idcirco lenta febris, macies univerſalis jam vexat, ſic tandem ægrotantium mors venit. Hæc habet Gorterus chir. repurgat. c. 2. p. 24. Nos vero potiori jure credimus venenum peculiare apophyſibus inimicum, aptumque eas in indolem ſcirrhoſam, cancroſamque convertere, pædarthrocacem efficere. Nam ex determinatione veneni ſcorbutici, gallici, morbillaris, varioloſi, ſcabioſi &c. intra articulos puerorum novum generatur venenum epiphyſes admodum laceſſere aptum.

Unguenti mercurii litus ſuper affe-ctam partem ſemel, iterum, tertio de die eſt inſtituendus, cujus reme-dii beneficio quoſdam fuiſſe curatos narrant chirurgi. Sed quoad ſcio nul-lum vidi hoc morbo curatum. Et ſi quis litu mercuriali curatus fertur, ipſum potius alio tumore, quam pæ-darthtrocace laboraſſe dicendum eſt. Nulli dubium eſſe poteſt hodie non eſſe inventum antidotum huic vene-no debellando aptum, ſed haud in-ficiari poſſumus magnam decoctionis aut ligni guajaci, aut rubiæ tincto-rum quantitatem propinatam & intra tumorem determinatam poſſe tempe-rare veneni vim, ſaltem impedire ne circulantibus humoribus communicetur, & vicinas epiphyſes obſideat. Aquæ marinæ balneum ſtillicidii forma pa-ratum optimum remedium eſt. Et oxy-cratum pluries de die affectæ parti adhibitum haud inutile eſt. Ceterum tota diligentia collocari debet in ex-trahendis fruſtulis oſſeis, & in affe-renda cicatrice poſt ulcus inflictum ope aquarum aut gurgitelli, aut pi-

ſcia-

ſciarelli, aut calcis vivæ. Nobili Puellæ annorum duodecim pedarthrocace in carpo dexteræ manus laboranti, poſtquam varia fruſtula oſſea dexterrimus chirurgus extraxit, integram reſtituit ſanitatem uſu aquæ gurgitelli interne & externe adhibitæ. Sed iterum dicimus pro hoc morbo curando diu eſt inſiſtendum in interno uſu decoctionum ligni guajaci, & rubiæ tinctorum, quorum remediorum efficia vel ita celebranda eſt, quoniam ſcilicet multum intra oſſium ſubſtantiam indicatæ decoctiones penetrantes, eam ab contracto pædarthrocaces vitio expoliare valeant.

Quid eſt exoſtoſis, & quænam ejus cauſæ.

§. 44. Non raro os præter naturam extuberat, & hæc extuberantia nec dolet, nec colore mutatur & dicitur *exoſtoſis*. Hujus morbi indoles videtur repoſita in ea veneni conditione, qua intra oſſis laminas inſpiſſantur, & figuntur circulantes humores. Vidimus enim experientia oſſa, ex eo quod admittant per vaſa intra laminas decurrentia humores aptos eorum nutritioni, & ſubſtentationi fa-

faciendæ, poſſe venenum recipere, quo coagulatis iiſdem humoribus ipſæ oſſium lamellæ in tumorem attolluntur expanſum non raro ramoſum, indolentem, quem dicimus *exoſtoſim*. Licet verum eſſe poſſit propter ingreſſum intra vaſa laminarum oſſis humorem lentum, tenacem, & viſcidum fieri eorundem vaſorum obſtructionem, & laminas veluti diſtenſas, & invicem ſeparatas majus occupare ſpatium. Semper autem ſtatuendum eſt non poſſe os in tumorem attolli niſi prius molle evadat. Numquam exoſtoſis dolet, niſi os interius cariem concipiat: quo enim in caſu magnus dolor ad perioſtium uſque extenſus excruciat, & lividus tumoris color apparet. Vidi in quodam viro undetrigeſimum annum agente ortam in femore dextero ex ſuſcepta lue gallica exoſtoſim, intolerandum die advesperaſcente excitare dolorem, quo tota nocte inſomnis fiebat, & tantum ſummo mane ſomnum, ob doloris remiſſionem, capiebat. Quartus eſt nunc annus, & a morbo vexatur æger, nec a mul-

a multiplici & efficaci adhibita medicina levamen adhuc expertus eſt . Subſit animo timor exoſtoſim cum carie oſſis fuiſſe conjunctam . Quando itaque intra oſſium laminas venenum ſive ſcorbuticum, ſive gallicum, ſive exanthematicum, ſive alius indolis determinatur poteſt exoſtoſim efficere. Frequenter autem morbus accidit lue gallica affectis. Et frequenter ab hoc veneno oſſa in mollem tumorem abeunt; quem utpote arborum gummis ſimilem videntes medici dixerunt *gummis* Acida indoles veneni requiritur ad morbum conſtituendum. Nam diu obſervatum eſt oſſa intra acidos detenta liquores mollia fieri. Et ex aggeſta intra tumorem materia excitari fermentationis quædam poteſt ſpecies, qua & vaſa, & firmæ oſſium partes ſecedere, & invicem in homogeneum commutari poſſunt humorem, quem dicimus gummi ſuppurationem. Comitatur hanc ſuppurationem non mediocris febris. Sic de gummi vulgo ſentiunt medici. Nos vero putamus gummi fieri ab acri venereo viru perio-

Quid gummi & quæ ejus cauſa.

rioſtium inſidente, cujus opera inflammatur hæc membrana, & convenientibus ſtimulo humoribus, intumeſcit. Hi autem humores veneni vi ſenſim in naturam lardo ſimilem tranſeunt, & eorum maxima pars inter perioſtium, atque os adunatur. Eorum attactu oſſis ſubſtantia ſenſim corrumpitur, quemadmodum perioſtium ipſum, & ſæpe carnes adjectæ pariter corrumpuntur.

§. 45. Pro apta exoſtoſis curatione inſtituenda omni opere moliendum eſt, ut veneni emendationem, expulſionemque medicus procuret. Quare medicamenta huic operi opportuna ſeligenda ſunt. Litum mercurialem, emplaſtrum de ranis cum quatruplicato mercurio, petias madidas aqua dulci ſolutione ſublimati corroſivi infectas, & his ſimilia affectæ parti adhibent cum fructu medici. Et horum remediorum interno uſu ſolent videre exoſtoſis reſolutionem. Nam ſublimati grana duo quolibet mane propinata efficaciſſime exoſtoſim reſolvunt, præſertim ſi venereæ labis ſu- *Exoſtoſis curatio.*

ſuſpicio ſit. At hydrargyroſi non datur efficacius remedium. Convenit itaque ſemel iterum tertio eam inſtituere, quando exoſtoſis obſtinatiſſima eſt. Vir ille, cujus nuper mentionem feci, quatuor ſubſtinuit generales hydrargyroſes, quæ licet morbum penitus non curaverunt, attamen tolerabiliorem reddiderunt. Aquarum antivenerearum, & antiſcorbuticarum ex ſarſa parilla, cortice ligni ſancti, cochlearia, naſturtio, gramine, dulcamara, acetoſella, & his ſimilibus confectarum uſus negligendus non eſt. Nec, annuente tempeſtate, balineorum frigidiuſculorum, aquarum thermalium, & hypocauſtorum mineralium virtus pro curanda exoſtoſi fruſtranea a nobis eſt obſervata. Pro curatione gummi eadem remedia conveniunt, niſi quod, ſuppuratione interveniente, educendum eſt pus, & digeſtivo communi, vel balſamo arcæi partis cicatrix eſt advocanda. Numquam ceſſare debemus ab uſu ſive interno, ſive externo mercurii, quando venerea lues in cauſa morbi eſt.

AR-

ARTICULUS XI.

Herniæ.

§. 46. MUltiplices eſſe hernias tum ratione ſedis, tum ratione materiæ contentæ omnes ſcimus. Harum deſcriptionem adumbrare inſtitutionis ratio poſtulat. Hernia eſt tumor factus a portione peritonæi ut plurimum prolungata in umbilico, in inguine, in ſcroto, aut in alia abdominis parte. Vocatur quoque *cele*, & vulgo *ruptura*. Quando in inguine efformatur dicitur *bubonocele*, quomodo in umbilico *omphalocele*, quando in ſcroto *oſcheocele*, quando in reliqua ventris parte *gaſtrocele* appellatur. Variat herniarum nomen a diverſa materia intra tumorem contenta. Si deſcendens in inguine, vel in ſcroto inteſtinum clauditur *enterocele* nominatur, ſi omentum continetur *epiplocele*, ſi uterque ſimul herniæ cavum implet *enteroepiplocele* appellatur. Hæc omnia contingere quoque in umbilico poſſunt, tuncque efforma-

Herniarum multiplex ſpecies.

matur *enteromphalos*, *epiplomphalos*; & *enteroepiplomphalos*. Quod ſi in eodem inguine, & ſcroto ad herniam efformandam venit aër, fit *pneumatocele*, ſi aqua *hydrocele*, ſi carnea moles, *ſarcocele* accidit. Poſſunt & hæc omnia in umbilico fieri, tunc adpellatur *pneumatomphalos*, *hydromphalos*, & *ſarcomphalos*. Non raro circa indicatas ſedes tument varicoſæ venæ, & tunc *varicocele*, & *varicomphalos* dicitur. Quod ſi lympha & aër ſimul herniam format tunc nominatur *hydropneumatocele*, *hydropneumatomphalos*, ſicque de aliis ſentiendum eſt herniis factis a varia materia collecta.

Indicantur herniarum varia ſigna. §. 47. Signa vero, quibus diverſæ herniarum ſpecies ſunt noſcendæ ex ſequentibus habere poteſtis adoleſcentes. Conſtituitur hernia ut plurimum ab interiori lamella peritonæi prolongata, & in ſacculi formam diſpoſita. In hunc ſacculum deſcendere inteſtinum poteſt duplici modo: aut enim inteſtini plica duplicata ex cavo ventris intrat ſaccum hernioſum, aut ex latere inteſtini formatur

tur ſacculus, qui implet herniosum ſaccum. In primo caſu inteſtini pars impleri fæcibus, inflammari, & in anulo conſtringi poteſt. Tranſitum fæcum intercipit, vix reponitur, ſyncopen producit, crudelem ſyngultum arceſſit, & adveniente gangræna cito moritur æger. In ſecundo caſu nulla fit fæcum interceptio, & inteſtinum facile in cavo abdominis protruditur. Enteroceles itaque cognitionem ab expoſitis ſymptomatibus obtinere poteſtis. Sed ex obſervatione tumoris hernioſi facile quoque enterocele cognoſcitur. Nam eſt tumor elaſticus, non durus, qui detento ſpiritu quodammodo creſcit, & in ſupino corpore, elevatis cruribus, imminuitur, nec non, tumore in ventrem protruſo, murmura fiunt. Epiplocele cognoſcitur ſi tumor hernioſus ſit mollis, nodoſus, preſſus pro tempore veſtigium relinquens, ſenſim in magnam excreſcens molem, raro dolet, & remiſſa intra ventrem hernia murmura non generat. Enteroepiplocele, quæ ab inteſtino, & omento ſimul efformatur

eadem ſymptomata, & pericula habet. Hac ratione dignoſcitur enteromphalos, epiplomphalos, & enteroepiplomphalos. Sarcocele (nam de hydrocele nuper verba facimus §. 31.) eſt tumor ſcroti carnoſus durus, & plerumque inæqualis, vix dolet, niſi quando indolis ſit ſcirrhoſæ in cancrum abeuntis. Varicocele eſt corporis pyramidalis, vel ſcroti venarum intumeſcentia, quæ fit a cauſa comprimente ſupra pubem venas reditum ſanguinis impediente, vel ab iis cauſis, quæ facile majori ratione ſanguinem impetunt in venas ſcroti, uti accidit ſalacioribus. Pneumatocele eſt tumor ſcroti ab collecto aere productus, qui ſcrotum tendit inſtar veſicæ turgidæ, & admodum eſt elaſticus. Sic cognoſcitur hydromphalos, & pneumatomphales.

Herniarum cauſſæ. §. 48. Herniæ in feminis ut plurimum in umbilico, & inguine fiunt, & in viris per viam, qua tranſeunt vaſa ſpermatica in ſcrotum deſcendunt. In hæc loca ideo fiunt herniæ, quia peritonæum minus eſt ſuffultum re-

reliquis abdominis partibus. Herniarum cauſæ ſunt eæ omnes, quæ laxant ſubſtentacula, & in abdomine contenta ulterius, ulteriuſque urgent. Sic ætas puerilis, multa fibrarum laxitas, contuſio, vulnus, hydrops, & potiſſimum aſcites hiſque ſimilia ſubſtentacula laxantia herniam pariunt. Clamor multus, cantus, riſus, ſternutatio, tuſſis, vomitus, fæcum fortis egeſtio, partus laborioſus, equitatio multa, atque his paria in abdomine contenta nimis urgentia morbum, de quo ſermo eſt, pariunt. Nuper vidi juvenem poſt validum curſum joci cauſa factum in ſævum enterocelem lapſum, a quo poſt duodecim dies interfectus eſt. Pro diverſa herniæ natura variat curatio. Nam enterocele curatur jacente in lecto ægro cruribus elevatis, & trunco declivi, chirurgi manus preſſione verſus anulum dirigente inteſtinum, intraque abdomen intrudente. Si admodum dolet enterocele, & metus eſt inflammationis (quæ ut plurimum accidit propter arctata vaſa trans in-

teſtinorum tunicas decurrentia, & interceptum ſanguinis iter multam irritationem facientis) ſanguinis miſſio ſemel, iterum, tertio eſt celebranda, & cataplaſmata emollientia ex malva, fœnugræco, althæa, mica panis, & lacte compoſita affectæ parti ſunt ſemper adplicanda. Opium interne ad grana duo quolibet die eſt propinandum, & clyſteres ex fumo nicotianæ pluries de die ſunt injiciendi, atque in recenti hernia incarcerata frigidam, ac contritam nivem propinatam, partique affectæ adplicatam ſummum emolumentum attuliſſe non ſemel vidimus. Frigore enim inteſtina contrahi, & intra abdomen recipi poſſunt. Hiſce nil proficientibus ad celotomiam celebrandam animus eſt convertendus, cujus operationis deſcriptionem habetis apud chirurgos, & potiſſimum apud Heiſterum. Nec novum eſt videre ægrotantis vitam ſervari, & diu dehinc protrahi, perforato inteſtino, factoque ano artificiali vel in inguine,
vel

vel in ſcroto (*b*). Si inteſtinum eſt repoſitum caute attendendum ne iterum prolabatur. Id ſane obtinetur adhibitis faſciis & ſpleniis ad opus opportunis. Aſtringentia, & corro-

(b) Hoc fieri debet quando gangræna affectum inteſtinum haud intra abdomen immitti poteſt. Hinc aperto artificiali ano, excretiſque fæcibus vita ægrotantis diu protrahitur, tuncque adhibitis fotibus antiſepticis potiſſimum ex decoctione chinchinæ, aut ex vino mirrhato paratis, inteſtinum gangræna expoliatur. Accidit haud raro, ut in antiquam gangrænam deſcendat inteſtinum, quod nimis arcte peritonæo adhæret, fitque tumor durus, elevatus ruber, & dolens cum omnibus ſævis ſymptomatibus copulatus, tunc noſtrates ſuadent chirurgi aperiendum eſſe tumorem ferro eo modo, quo abſceſſus aperitur. Inteſtinum in hac operatione perforatur, & exoneratis fæcibus, temperatiſque ſymptomatibus, inteſtinum facile reponitur, ipſaque natura recipit munus ulnerato inteſtino cicatricem conciliare, quemadmodum tribus in ægrotantibus in Incurabilium noſocomio de gentibus ſe obſervaſſe mihi ſuperioribus diebus narrabat chirurgus primarius ipſius noſocomii rerum chirurgicarum apprime inſtructus meique amiciſſimus. Hic itaque vir Cl. ſancte mihi teſtabatur tres ſupradictos ægros expoſita methodo tractatos integre convaluiſſe.

borantia medicamenta ſive interne, ſive externe adhibita a nonnullis præſcripta fruſtranea eſſe diu experti ſumus. Hæc de enterocele dicta de enteroepiplocele, de enteromphalo, & enteroepiplomphalo ſunt quoque intelligenda. Ad hydrocelem, & ſpermatocelem pertinentia ſuperius enarrata ſunt. Sarcoceles curationem adimplent remedia reſolventia, qualia in ſtrumis, & ſcirrho adhiberi diximus. Hæc ſive per remedia interne ſumpta, ſive per emplaſtra, ſive per linimenta adplicanda ſunt. Quando tumor admodum penſilis, minuſque cum vaſis magnis cohæret, cum vel ſine ſcroto eſt ambutandus, trajecto prius per acum filo funiculum ſpermaticum adligante, ut hæmorrhagia arceatur. Facta ſectione debet ulcus cito ad cicatricem perduci. Pro curando varicocele conveniunt ſemper ſuſpenſoria, & diſcutientia. Nec deſunt, qui unius venæ ſectionem ſuadent. Optimum remedium habetur ex adplicato oxycrato (c).

CHI-

(c) Antequam hinc abeamus pauca de tumo-

CHIRURGIÆ THEORETICÆ

SECTIO II.

DE VULNERIBUS.

ARTICULUS I.

Vulnera generatim accepta.

§. 1. VUlnus eſt continui mollis ſolutio recens, & cruenta facta a corpore duro, acuto, preſſo, moto, & reſiſtente. Hac defini- *Vulneris definitio.*

moribus cyſticis adnotare jubet inſtitutionum recta methodus. Sunt tumores cyſtici illi, qui in quadam crypta membranoſa, ſeu folliculo ex collecto morboſo oriuntur humore, qui humor ſi varius eſt variam conſtituit cyſtici tumoris indolem. Nam aliquando contenta materies par eſt pulti ex farina confectæ, tuncque vocatur *atheroma*. Si vero ſebo comparatur dici ſolet *ſteatoma*. Si tandem mellis colorem, & conſiſtentiam referat nominatur *meliceris*. Nec raro intra folliculum occurrit lapidea, granuloſa, lutea, vel alius naturæ materies, tuncque tumor ab conditione folliculari non deſciſcit. Quando occupat cranii cu-

tione diſtinguitur vulnus ab ulcere ; & a contuſione, vel ſimplici punctu-
ra

cutem, & ſuperius convexit, inferiuſque ob cranii duritiem complanatur follicularis tumor tunc dicitur *testudo*. Et ſi ex cute dorſi, brachiique veluti a pedunculo pendet nimis auctus adpellatur *natta*, ſive *napta*. Horum folliculoſorum tumorum ſedes ſemper in cellulari eſt, in qua conſtituitur ampulla intus cava ductu prædita excretorio (diceres glandulam ſimplicem), & per internam undique ejus ſuperficiem exudat lentus viſciduſque humor ductui excretorio ſubeundo impar, ſicque in cyſti cumulatur, & fit tumor follicularis. Morbi hujus procatharcticæ cauſæ ſunt temperamentum pituitoſum, iners vita, ciborum craſſorum, & vini, liquorumque ſpirituoſorum abuſus, atque hujuſmodi alia humorum lentorem conſtituentia. Marcus Aurelius Severinus hos tumores *naturales* appellat ex eo, quod nullam naturæ vim inferant, & raro ad ſuppurationem veniunt. In principio tumores cyſtici reſolvi poſſunt admoto oxycrato, vel emplaſtro de ranis cum mercurio, vel de cicuta Hildani. Nonnulli laudant gummi ſagapenum, & ammoniacum in aceto ſolutum. Quando vero tumores facti ſunt magni, multum cum ſubjectis partibus, præſertim cum magnis arteriis & nervis habent radicem, tunc niſi ſuppurari poſſunt (quod re vera raro accidit) ſinendi ſunt, & naturæ com-

ra cum levi ſanguinis effuſione facta. Si igitur vulnus fit in molli parte, & mollis pars ut plurimum vaſis conſtat, nil mirum ſi in quocumque vulnere ſanguis effundatur. Duo igitur ſemper in vulnere neceſſaria ſunt, alterum, ut ſolidæ invicem cohærentes partes ſeparentur, alterum, ut humor in ipſis contentus effundetur. Nec dari poteſt vulnus quin lædatur functio ulneratæ partis, & ex varia vulneris indole varia in ægrotante obſervantur phænomena. Vulnerum cauſa igitur eſt inſtrumentum durum ſecans, pungens, vel obtuſum partes molles divellere aptum. Ubi vulnus eſt inflictum in ſano corpore ſtatim, ut dictum eſt, ſanguis effunditur, & diſcedunt molles

committendi. Numquam relinquendus eſt internorum medicamentorum diſſolventium, & attenuantium uſus. De broncocele, ſive de hernia gutturali nil addam, cum de hoc tumore vel nulla, vel admodum parva imperanda eſt curatio. In gutturis cellulari, qui colligitur viſcidiſſimus humor ægre nimis & ſuppurari, & reſolvi poteſt.

les partes antea cohærentes, quæ invicem contrahuntur ſenſim ſenſimque, & ita ſemper major vulneris hiatus evadit. Cruor primo cum impetu effluit, deinde ſponte ſiſtitur. Id accidit ex innata contractione fibrarum, qua diſciſſorum vaſorum orificia clauduntur ſenſim, & ſub vulneris labiis reconduntur. Tunc cruſta innaſcitur ſanguinea impletque vulneris cavum. Hæc pendet ab illo ſanguinis coagulo, quod ſemper concipit ſanguis extra vaſa effuſus. Hic eſt *trombus ſanguineus*, qui totum obtegit vulneris hiatum, a quo ſemper defenditur vulnus. Supra hoc operculum ſanguineum effunditur tenuis liquor loturæ inſtar carnis, qui ab ſemiclauſis vaſorum orificiis educitur. Ex hac contractione vaſorum in tota interna vulneris ſuperficie ſitorum quædam obſtructionis oritur ſpecies, contra quam fluidorum vis truſiva urget. Sic labia vulneris rubent, calent, dolent, tumentque. En ratio quare vulnus recens inflictum aut nihil, aut parum doleat, dum tertio, quartove die ſa-

tis

tis magnus dolor ſentitur. Et quæ eodem tempore accenditur levicula febris, & ſitis non niſi ab ipſamet labiorum vulneris inflammatione oritur. Nec hæc febricula vulneratis nocet. Hac enim promovetur puris facilis generatio. Et incipiente ſuppuratione, detumeſcentibuſque vulneris labiis ceſſat ſitis, ac febris. Generatur autem pus poſt tertium, quartumque ab inflicto vulnere diem, quod ſine dubio extra vaſa generatur, præſertim ſi emplaſtro tenaci obtegitur vulnus (*d*). Tandem ablatis per beni-

(d) Fieri in vulnere poſt quartum diem liquorem tenacem, album, pinguem, æqualem, ideſt *pus* pro bono ſigno a chirurgis habetur. Per laudabilem enim ſuppurationem ſolvuntur ſemilaceræ partes una cum infarctis liquidis hærentibus in labiis vulneris, & a partibus vivis ſeparantur. Hæ vivæ partes ſenſim ſenſimque recreſcunt, & facta ſucceſſiva nutrientium novarum partium appoſitione, tandem cohærent invicem ſolidæ partes, & ad cicatricem perducitur vulnus. Igitur puris generationem in vulnere vis vitæ ſuperſtes facit. Numquam in cadavere vulnera dant bonum pus. Et ſemper mali ominis, & for-

nignam ſuppurationem reſiſtentiis tenerrima, & pulpoſa vaſorum extrema excreſcunt; & apparet a fundo vulneris, & ab ambitu labiorum rubra caro, quæ ſenſim ſenſimque aucta obtegit omnem vulneris hiatum. Hæc eſt vulneris conſolidatio ſive incarnatio. Tunc videntur labia vulneris ſubſidere, & acquirere ſubcæruleſcentem colorem. En primum cicatricis ſignum. Extenditur per totum vulne-

---

forſan certæ mortis ſignum habent medici, ſi aut vulnera fœtidum ichorem, quam bonum pus effundunt, aut exſiccantur, nullo madoris, aut puris veſtigio apparente. Id ſane eſt ſignum deficientis vitalis influxus ſanguinis circulationem ſubſtinere non valentis. Hoc potiſſimum accidit aut per veneni vitalem facultatem opprimere apti ſuſceptionem; aut per acutum morbum vitæ actionem debilitantem, deſtruentemque, aut per diuturnam humorum eductionem, veluti in diarrhoea, dyſenteria, diabethe &c. habitam, aut per aliam hujuſmodi cauſam. En ratio cur mali ſit ſemper ominis vulnera videre, aut malum, aut nullum pus effundentia. En pariter ratio cur hydropicis, & cacochymis inflicta vulnera in gangrænam faceſſunt. Et in morbis acutis vulnera, & ulcera eſiccari pro fere certo mortis ſigno a medicis habetur.

neris ambitum conſolidatio, & clauſo hiatu ſubcæru eſcente obtegitur cute tota vulneris ſuperficies. Hæc eſt naturalis ſanatio vulneris, cui perficiendæ vel ſola ſufficit natura. Et Ars ei auxiliatur tollendo impedimenta, quibus ablatis tantum opus perficitur.

§. 2. Vulnerum diverſitates deſumendæ ſunt a diverſa conditione vulnerantis inſtrumenti, a diverſa natura partis vulnus accipientis, a diverſis effectibus ab vulnere procedentibus. Nam inſtrumentum acutum conicum facit puncturam cito ſe claudentem, & difficile hujus vulneris profunditas detegitur. Si vero inſtrumentum eſt acuti cunei inſtar, tunc magnus fit vulneris hiatus, potiſſimum ſi per molles carnes protrahitur cuneus. Et pariter variat vulnus a vario cædendi modo. Aliud enim eſt vulnus ſi carnes tantum ab inſtrumento vulnerante perfoduntur, aliud ſi intra carnes agitatur inſtrumentum. Quando enim agitatur inſtrumentum tunc pu-

Vulnerum differentiæ.

plures vulnerantur partes, & ipſo instrumento major ſemper fit vulneris apertura. Si telum eſt venenatum reddit periculoſius, & lethale vulnus. Secus ſi non eſt venenatum. Diverſitas item vulneris pendet a conditione partis vulnus accipientis. Nam aliter vulnerantur molles, aliter duræ partes, aliter vulneratur parenchyma, aliter muſculus, aliter nervus, aliter arteria &c. Tandem variat vulnus pro varietate ſymptomatum ab vulnere procedentium. Nam convulſio, vomitus, ſingultus, hæmorrhagia, ſanguinis ſputum, fæcum eductio, & his ſimilia vulnus excipientia indicant ipſum, & magni uſus viſcera lædi, & fere lethale eſſe. Quando autem vulnus nullam affert magnarum functionum læſionem, nec cum vehementibus ſymptomatibus comitatur, ut plurimum curabile eſt. Quapropter ex apparentibus ſymptomatibus tres pariter deſumunt medici vulnerum differentias, quæ coram magiſtratu pronunciari debent. Alia enim ſunt abſolute lethalia, alia ſunt

ſunt per ſe lethalia & curabilia per artem, tandem & ſunt nonnulla per accidens lethalia, nempe per errorem in citiam, neglectum &c. Vulnera abſolute lethalia ſunt primo, quæ intercipiunt influxum fluidi nervei a cerebro ad cor, uti ſunt vulnera cerebri, cerebelli, profunde medullam oblongatam tangentia, vulnera ſuperioris partis medullæ ſpinalis, vulnera lædentia cordis auriculas, ventriculoſque, & effundentia nimiam ſanguinis quantitatem ab læſa aorta, aut vena cava, aut arteria, & vena pulmonali, vulnera abſcindentia partem tendinoſam diaphragmatis, vulnera perforantia tenue inteſtinum, abſcindentia ductum thoracicum, & his ſimilia. Vulnera vero dantur, quæ abſolute lethalia non ſunt, dum curabilia evadunt per artem. Sic vulnera capitis effuſionem ſanguinis ſupra cerebrum facientia ſibi relicta mortem inferunt, ſi vero terebratione cranii educitur ſanguis evadunt curabilia. Vulnera magnarum arteriarum, & venarum, quibus acceſſus ma-

manibus chirurgi datur, ſibi relicta per magnam hæmorrhagiam ſunt lethalia, ſed adhibitis opportunis remediis ſanguinis effuſionem impedientibus, curari poſſunt, &c. Denique vulnera non lethalia, & quæ errore, neglectu, inſcitiaque mortem afferre poſſunt innumera ſunt, prout voſmetipſis rite cogitantibus facile innoteſcere poteſt.

Vulnerum prognoſis. §. 3. Ex hactenus dictis patere quoque poteſt vulnerum prognoſis. Nam aut ſalus, aut mors ægrotantis, aut partis cujuſcumque immobilitas, functioniſque læſio tota vita duratura a perito chirurgo ſtatui poteſt non niſi ad conditionem vulneris modo parvam, modo magnam integumentorum, aut carnium quantitatem abſcindentis, modo hanc, modo illam partem lædentis, ad ſymptomata nunc lævia, nunc gravia vulnus comitantia, ad indolem puris, & diverſam rationem vitæ vitium totam vulneris durationem ſectantium, & his ſimilia attendere debet. Quod vero ſpectat ad generalem vulnerum curationem, jam vo-

vobis innoteſcere debet adoleſcentes, eam rite poſſe obtineri, ſi per remedia reſtituatur ſolidis ſoluta cohæſio, quam per inflictum inſtrumentum durum, acutum &c. ipſa ſolida perdidere. Sed hoc opus adimplet potiſſimum ſuperſtes vis vitæ, qua ſolidis reſtituitur, quod ablatum eſt. Et quod ſolidis reſtituitur eſt bonus ille ſuccus virium digeſtricium actione ab alimentis elicitus, qui quotidie partibus ſolidis applicatur reparaturus perdita, quæ per ipſam vitam quotidie habemus. Quando itaque per totam vulneris ſuperficiem poſt exactam inutilium ſeparationem ope ſuppurationis extremis vaſorum applicatur ſuccus ille nutrititius ſenſim ſenſimque elongantur fibræ, & mirabilis fit ſeparati, & ſejuncti agglutinatio. Hic ſuccus neque ſanguis, neque lympha eſt, ſed mirabilis humor ultima vitæ actione elaboratus, cui parando ſola præeſt natura. Neque ars id poteſt imitare, licet apud nos poteſtas ſit tollere ea, quæ tantum impediunt opus, & adplicare ea, quæ

valent id ipſum perficere. Sic corpus extraneum relictum in vulnere eſt extrahendum, callum inter labia vulneris enatum eſt tollendum, aliter numquam accidit vulneris conſolidatio. Et ſi quod perditum eſt non regeneratur, & quod ſeparatum eſt non unitur, atque in conjunctione non retinetur numquam habebitur vulueris ſanatio, ut dictum eſt. Poteſt quoque ars debitam in ſolidis, & fluidis conditionem aptare, ut in vulnere accidat perditi reparatio, & ſeparati coujunctio. Hinc optime a medicis inſtituitur pro vulnere curando recta victus ratio ſubminiſtrando ea alimenta, quæ blandum & dulce chylum parant, ut poſſit bonus ſanguis generari aptus fibrarum conſolidationi pariendæ. Semper itaque optima ſunt farinacea, uti decoctum avenæ, hordei, panatella, & his ſimilia. Fructus horæos grata aciditate præditos ad arcendam putredinem, nec parca copia vulneratis comedendos concedimus. Olera optima cenſentur, potiſſimum quando non ſunt alcaleſcen-

tia.

tia. Evitentur oportet cibi difficilis digeſtionis, velut ſunt jura nimis ſpiſſa, carnes fumo, & ſale induratæ, legumina, piſces magni & pingues, & his ſimilia. Vinum, liquoreſque ſpirituoſos eo ſenſu prohibemus, quoniam lædendi vim habent, & vulneris conditionem exaſperare ſolent. Id fieri poteſt ſi abſit conſuetudo, quæ ſi intervenit, ne fatiſcaut vires digeſtrices aliquid vini, liquoriſque ſpirituoſi vulnerato debet concedi. At id ſemper eſt ſentiendum in eo ſenſu, in quo nulla adſit vulneris exaſperata, & irritata conditio; qua interveniente diluentibus ſemper uti convenit.

§. 4. Nec diſſimili ratione circa non naturalium reliquarum rerum uſum vulneratus tractandus eſt. Aer reſpiret oportet neque nimis calidus, neque nimis frigidus. Optimus eſt ille, qui vernali tepore gaudet, & ille, qui nulla impuritate præſertim putrida fœdatur. In noſocomiis, in quibus plures ægri ſimul decumbunt vulnera ut plurimum in malignam in- *Sequitur vulnerum curatio.*

 do-

dolem abeunt. Juvat ſemper in his locis aeris renovatio, quæ potiſſimum per ventilatores perfici poteſt. Animi, corporiſque quies eſt imperanda, venus fugienda. Nocet admodum vulneribus ſumma nervorum agitatio, quam facit animi pathema, venusque. Somnus eſt conciliandus anodynis, & narcoticis, ut commoda fiat fluidorum coctio, & apta eorundem ad vulnus appoſitio. Et ut humores quacumque acrimonia expolientur, & ſi qua ſint lenti tenaceſque diſſolventur, oportet aquarum antivenerearum, ptiſanæ ex ſarſa parilla, cortice ligni ſancti, & ſennæ foliis paratæ, ſeri lactis depuratiſſimi, aquæ graminis, vel cichoræa, aliarumque his ſimilium potionum uſum præſcribere. Cum his, & §. præcedenti præſcriptis remediis obtineri poteſt commoda ad vulnus humorum appoſitio. Sed debent quoque vaſa optime diſponi, ut vulnus ad conſolidationem perveniat. Debet ſemper vulnus tueri ab acceſſione aeris atmoſphærici, ne diſciſſæ partes nimis abeant in putredinem.

Er-

Ergo bonum eſt rara ipſum medicatione tractare. Id præſtant chirurgi applicatione faſciarum, vel emplaſtrorum tenacium. *Primæ intentionis* methodus vulnerum curandorum ideo a noſtratibus chirurgis ſummopere laudatur, quoniam ſcilicet adductis & conjunctis vulnerum labiis cito, ob enatum inter ipſa labia agglutinans liquidum, promovetur curatio. Sic poſt inflictum vulnus, primo cooperiunt illud chirurgi filis carptis, aut ovi albumine quaſſato, aut rectius vino, & oleo puriſſimo, aliove nativo balſamo imbutis. Deinde adhibent faſciam, cujus poſitum, & diſpoſitionem ita aptant, ut quod ſeparatum eſt poſſit conjungi, & quod prolapſum eſt poſſit ſubſtineri. Nec raro faciunt ſuturam vulgo dictam *cruentam*, quæ abſente hæmorrhagia, ſine ſummo dolore, & ſine magna irritatione, ne inflammatio advocetur, inſtitui poteſt. Et aliquando adhibitis ſpleniis juxta longitudinem vulneratæ partis, & adhibitis faſciis etiam in tranſverſis vulneribus facta eſt vul-

vulneratæ partis conſolidatio. Homini poſt magnum ſaltum rumpebatur circa magnum achillis tendinem cutis, & per trium tranſverſorum digitorum diſtantiam vulneris labia ſecedebant. Idonea poſitura, & debita facta preſſione per faſcias, & ſplenia diſſitæ partes in mutuum contactum adducebantur, & perfectiſſime cohærebant (*e*). Advertatis oportet adoleſcen-

(e) Conſul. Acad. ſcientiar. an. 1722. Suturam cruentam, quæ acu ceratum filum ducente perficitur, optimo conſilio prudentiores chirurgi hodie condemnant; & ab uſu medico abjiciunt. Nam hac futura ſemper & major ſtimulus, & major dolor, & major arceſſitur inflammatio. Hæc omnia a felici vulneris curatione abeſſe debere ſemper omnis ſanæ mentis cognoſcit. Retinent tenacibus emplaſtris, & aptis faſciis ſejuncta vulnerum labia, & commoda ſuccedit conſolidatio. Hæc ſutura, quam vulgo dicunt *ſuturam ſiccam* in triplici vulnerum ſpecie locum habere poteſt. Nam aut vulnus eſt *ſuperficiale*, & *cutaneum*, aut eſt *profundum*, nempe intra carnium compagem inflictum, aut *penetrans*, nempe intra cavitates perveniens ſemper hac ſutura facile curatur. Sed advertendum, ut adhibita faſcia non ſit nimis arcta, ut ſuffocationem circula-

ſcentes ne in faſciis & ſpleniis admovendis partes in vitioſo ſitu, & poſitu ita retineatis, ut poſt ſanatum vulnus remaneat affectæ partis deformatio.

§. 5. Poſt hæc ſi vulneris ſolidatio non acciderit, ſedulo eſt moliendum, ut, ſuppuratione in vulnere arceſſita, fiat ſenſim ſeparatio inutilis, & hererogenei ab utili & bono (*f*). Hinc remedia vulneri ſunt

Pro bona vulneris curatione oportet ſuppurationem procurare.

lationis non pariat, ne vitali influxu vulnerata pars privetur, neque ſit nimis laxa, ut labia in conjunctione retineri non poſſint. Quando retinentur in ſitu labia, & non impeditur humorum fluxus ab vaſis minimis exudat glutinoſa lympha, qua ſeparata conjunguntur vaſa, ſicque ad conſolidationem perducitur facile vulnus. In ſimplici, & ſuperficiali vulnere id paſſim accidere ſolet. Phlebotomi ſola faſciatione cito parvum venæ vulnus conſolidant.

(f) *Liquida ad vulnus allata, in vulnus effuſa, fibræ ſemimortuæ, canales obſtructi tumefacti quæ creant in vulnere pus, ichorem, ſordes, carnem fungoſam*: verba ſunt clariſſ. Boerhaavii §. 206. de vulner. Hoc eſt illud inutile, quod per benignam ſuppurationem ſeparat ab

adhibenda, quæ leviter emollire poſſunt vaſis ſuperpoſitam inutilem cruſtam, & quodammodo ſtimulare, ut poſſit facile obtineri ejuſdem cruſtæ ſeparatio. Optimum idcirco eſt vulgare recens digeſtivum, quod componitur ex ovi vitello cum terebinthina conquaſſato. Adhibent aliud quoque balſamum chirurgi. Sed cum hæc potius ulceri, quam vulneri conveniunt de his redibit infra ſermo. Quæ conveniunt chirurgo curando vulneri ſtatim arceſſito ſunt, extranea corpora in vulnere relicta educere, & vulneris ſymptomata, quæ ſunt hæmorrhagia, dolor, convulſio, inflammatio, contuſio, & febris, tollere, aut ſaltem temperare, ut fit in vulneribus complicatis (g). Inter ex-

utilibus fibris, & vaſis natura princeps morborum medicatrix. Ars huic naturæ ſuppetias exhibens, & veſtigiis ejus inſiſtens remedia dat, quibus hic finis cito obtinetur.

(g) Merito chirurgi ſapientes diſcrimen faciunt inter vulnus ſimplex, & complicatum, ſive compoſitum. Primum vocant illud, quod aut

extranea corpora in vulnere relicta recenſentur ſanguinis grumus, oſſis fruſtulum, acinacis, aut teli fragmentum, plumbea pila e ſclopeto emiſſa &c. Sanguinis grumus diligenti ablutione, aut ſimplici aqua, aut oxycrato facta tollendus eſt. Oſſis aut inſtrumenti ferientis fruſtulum digitis, vel volſella apprehendendum, & diligenter extrahendum. Quod ſi hujuſmodi corpus intra vulnus eſt ſepultum, & neque oculis videri, neque digitis tangi poteſt, tunc non eſt ulterius, ulteriuſque irritandum vulnus, ſed tempus expectandum, quo per benignam ſuppurationem exeat. Vidimus enim frequenter in praxi globulos metallicos in vulnere inflictos, quos vel diligentiſſima inquiſitio chirurgi invenire non potuit, ſuperveniente ſuppuratione feliciter ex-

aut tantum integumenta communia ferit, aut ſine ullo gravi ſymptomate copulatur. Secundum dicunt illud, quod aut cum oſſe, cum nervo, cum arteria, cumque magno muſculo læſo, aut cum contuſione, dolore, convulſione, hæmorrhagia &c. conjungitur.

extrahi. Contra apertura tantum locum habere poteſt, ſi in parte vulneri oppoſita digitis tangatur extraneum corpus, quod facta apertura extrahitur. Id quotidianis exemplis innoteſcit. Sed de his mox infra redibit ſermo.

Quomodo hæmorrhagia compeſci debet? §. 6. Ad compeſcendam hæmorrhagiam ſtipticis, & adſtringentibus remediis utuntur. Adhibent enim vitriolum, ſpiritum vini, alumen uſtum, alioſque pulveres adſtringentes; nec ipſi vivo parcent igni, quem vulneri ſanguinem educenti per ignitam laminam admovent. Verum neſcio an tuta eſſe poſſit operatio? Nam poſt elapſam eſcharam, quam indicata faciunt remedia, dehiſcentibus iterum vaſis, hæmorrhagia redire ſolet; quod in praxi non ſemel vidi. Rem itaque in hunc modum tranſigendam putamus. Si vas ſanguinem fundens magnum eſt *tourniquet*, ſi fieri poteſt, adplicandum trunco illius arteriæ, quæ ſanguinem educit. Dum inſtrumentum hujuſmodi eſt applicatum, ſanguiniſque effuſio ceſſat, ſedulo atten-

tendendum, ut munderur vulnus, requireturque vas, a quo ſanguis exit. Si parva eſt arteria & ſemiſciſſa ea penitus recidi debet hac ſpe, ut propria fibrarum contractione claudatur arteriolæ hiatus. Si vero magna arteria ſciſſa inveniatur, tunc globulus chartæ probe commanſæ parandus mole arteriæ apertæ orificio proportionalis, eique applicandus. Huic globulo alius ex eadem charta confectus ſuperponendus, ſed paulo major priori, huic alius, aliuſque ſemper ſuperponendus hoc modo, ut fiat inverſa piramis, cujus apex reſpiciat hiatum ſciſſæ arteriæ. Hujus piramidis baſim obtegat plumaceola, indeque quatruplicata lintea, ſuper quam aptanda eſt faſcia ſatis arctans & comprimens. Hoc peracto *tourniquet* ſenſim ſenſimque laxari debet; ita obſervatur, ut poſt enatum trombum ſanguinis in vulnere ceſſet hæmorrhagia. Quando *tourniquet* dimittitur bonum erit miniſtri manu per nyctehemerum & ultra jugiter piramidem illam compreſſam tenere. Sed ſi hæc non

non ſatis fuerint ad hæmorrhagiam cohibendam filo lineo duplicato, & cerato, acu ducto, vas ligandum eſt. Dolor & convulſio vulnus excipiens curatur ſanguinis miſſione, extraneorum corporum ablatione, opiatorum, & emollientium remediorum interne externeque applicatorum uſu. Et ſi nervus ſemilacerus invenitur penitus eſt abſcindendus. Contuſio, ſive ſugillatio eſt carnis liveſcentia facta ab ruptura vaſorum cutis, aut membranæ adipoſæ ſanguinem ſub cuticula effundentium. Hæc curatur admoto oxycrato, aut vino cum aqua ſalis ammoniaci ſolutione infecta copulato. Et ad evitandam inflammationem convenit repetita ſanguinis miſſio, atque frequens oxycratis adplicatio. Febrim tollunt ſalia inciſiva, veluti polychreſtum, flores ſalis ammoniaci &c., ſerum lactis depuratum, chinchina, atque alia antifebrilia remedia, quorum alibi mentionem fecimus. Ablatis ſymptomatibus, agglutinatiſque vulneris labiis, vulnus incipit curari. Tunc pruritum parit;

ſic

ſic ſenſim per ſubcreſcentem carnem incipit complanari vulneris hiatus, labia evadunt parum livida, & apparet cicatrix, quam optimum erit per aliquod tempus levi aluta obtegere, ne leni externa cauſa tenerrimæ in cicatrice extantes fibræ iterum rumpantur (*h*).

AR-

(h) Vulnus fieri poteſt in arteria, in vena, in nervo, in tendine. Quando fit in arteria tunc conſtitui poteſt aut ſpurium, aut verum aneuryſma, de cujus curatione diximus p. I. art. II. Unicus metus vulneratæ arteriæ, & venæ eſt in hæmorrhagia, quam ſiſtit operatio jam indicata, aut arteriæ ligatura, quam propoſuimus nuper, & in aneuryſmatis curatione. Quando vulneratur nervus tunc vehemens dolor, & magna convulſio apparere poteſt. Hiſce accidentibus obviam ire poſſumus, aut totali, ut dictum eſt, nervi abſciſſione, aut remediorum emollientium applicatione. Optimum eſt tepidum lac cum ſolutione opii copulatum, quod parti affectæ jugiter admovere convenit. Quando vulneratur tendo; aut ſolutio fit ſolius partis tendinoſæ, aut tendinis, & locorum adjacentium. In hoc vulnere neque convulſio, neque dolor maximus timendus eſt; (ſenſu enim expertes tendines eſſe plurima Halleri experimenta doce-

ARTICULUS II.

Vulnera per Sclopetum inflicta.

Quæ ſunt ſymptomata vulnus e ſcopleto factum comitantia.

§. 7. VUlnera, de quibus nunc ſermo eſt inſtituendus, homi-

---

cuerunt). Sed noxa eſt pertimeſcenda, quam muſculi, cujus vulneratus eſt tendo, ruptura & diſciſſio affert. Tota diligentia eſt collocanda in chordæ tendinoſæ ſeparatæ unione procuranda, & conſervanda. Inter tendines humani corporis maximus eſt ille, qui vocatur *Achillis tendo*, factus a tibiæ muſculis gaſtrochnæmiis ad calcaneum adligatus. Hic tendinoſa chorda ut plurimum rumpitur. Sit rumpitur ab inſtrumento ſecante, tunc cum integumentis reciſis vulneratur, ſi caſu ſine ulla inſtrumenti actione rumpitur, tunc integra ſunt integumenta. Quando parva eſt diſcuſſio tendinis cum integumentis, tunc vulnus tractandum eſt ut cetera ſimplicia, & ſuperficialia vulnera. Si vero vulnus magnum eſt, tunc procuranda eſt utriuſque tendinis portionis diſciſſæ unio, quæ obtineri poteſt per acum ducentem filum per utramque portionem traductum, ſimulque adligantem, aut per ſimplicem vulneratæ partis poſitionem factam ſpleniis, faſciiſque. Hinc ſutura peracta linteum terebinthina veneta imbutum, indeque plamaceolam ſpiritu vini madidam præ-

ſtat

minibus afferre ſolent ſcopletum, aut alia bellica inſtrumenta, quibus per vim pulveris pyrii plumbei, aut alias materiæ globuli expelluntur. Magna ſunt accidentia, quæ hujuſmodi vulnera comitantur. In primo inſtanti corripitur homo univerſali concuſſione & tremore, quem parit & metus mortis, & ictus pilæ vehemens, perſen-

ſtat adplicare. Hæc omnia obtegere debet ſimplex quadruplicata faſcia. Peracta faſciatione infibulandus eſt pes per coriaciam faſciam tres digitos latam cum tibiali alia coriacia faſcia hac lege, ut retrorſum pes ſubſtineatur ſine ullo incommodo. Sic per unam, alteramve hebdomadam perſiſtendum, ſemper affectam partem fovendo vini ſpiritu, uſque donec ſenſim extendendo pedem percipiatur factam eſſe conjunctionem tendinis. Caute per plures menſes procurari debet, ne magna fiat pedis diſtractio. Si vero per fortem ſaltum rumpitur achillis tendo, tunc adhibito calcaneo linteo, factaque tibiali faſcia retrorſum calcaneum retrahi debet, & ſubſtineri per duas treſve hebdomadas ſemper fovendo partem affectam vini ſpiritu. Poſtea ſenſim exſtendi pes horizontaliter debet uſque dum percipiatur factam eſſe conjunctionem. Quod dictum eſt de vulnere tendinis achilli de reliquis tendinum vulneribus eſt ſentiendum.

ſentitur etiam frigus, quod convulſionis ſpecies eſt enata a ſumma nervorum irritatione, quam per ſclopetum inflictum vulnus parit. Hiſce accidentibus adduntur ſingultus, vomitus, ſyncope, & faciei color aut flavus, aut viridis. Hæc omnia ſemper indicant univerſalem machinæ commotionem, nervoſorum ſpirituum, ſanguinis, reliquorumque humorum perturbationem, quæ aut in actu vulneris inflicti, aut paulo poſt ab vulnerato ſentitur. Dum ferit globulus e ſclopeto emiſſus, aut contuſionem facit, aut vulnus. Contuſio vel eſt ſimplex, vel eſt complicata. Vulnus ſemper cum eſchara copulatur; ipſumque pariter cum oſſis contuſione, aut fractura conjungi poteſt. Contuſio fit quando globulus e ſclopeto emiſſus aut in fine ſuæ velocitatis, aut cum multa obliquitate ferit. Tunc plura ſub cute vaſcula rumpuntur ſanguinem effundentia ſine ipſius cutis laceratione. Sanguis extra vaſa effuſus ſub cuticula, ut dictum eſt, colligitur maculam lividam faciens, quam vulgo di-

dicunt *ecchymoſim*. Quando ecchymoſis fit ſupra oſſa, cartilagines, & tendines poteſt in corruptionem commutari, quæ ex duritie partium, & minima vaſorum abſorbentium actione derivat. Vehemens contuſio conjungi poteſt cum oſſis fractura, tunc morbus eſſe poteſt periculoſior. Vulnus ſemper cum eſchara copulatur, quæ non eſt combuſtio, quam facere ſolet globulus ignitus a pulvere pyrio emiſſus, ut perperam nonnullis viſum eſt, ſed eſt contuſio carnis mollis, in qua ob vehementem ictum vaſa, & fibræ veluti divexatæ, ac diſcerptæ cum vita pene amittunt commercium, unde eſchara parum nigra apparet. Quando globus ferit, niſi utramque membri partem aperit, tunc aut intra carnem, aut intra cellularem, aut intra os fractum remanet. Quando non mutat globoſam, & rotundam figuram (nam contra durum corpus impingendo poteſt comprimi globus, & in anguloſam, & irregularem figuram carnes lædere aptam commutari) tunc nullam infert vulneratæ parti noxam. Quotidiana

enim experientia evictum eſt globulos plumbeos per plures annos intra carnes, intraque viſcera ſine ullo ægrotantis incommodo manere. Poteſt & aliud extraneum corpus intra vulnus ingredi. Sic ſtupam, aut veſtitus portiunculam intra vulnus inſinuatam non novum eſt videre. Et hæmorrhagia pariter advenire poteſt. Quando emittitur e ſclopeto globulus ſi hic eſt parvulus, cum parvulum aperiat vas, aut nullam, aut parvam facit hæmorrhagiam. Si eſt magnus, cum magnum feriat vas profuſam, & forſan mortalem inferre poteſt hæmorrhagiam. Neque dicatur nuper memoratam eſcharam continuo factam in vulnere impedimento eſſe ſanguinis effuſioni; nam ut dictum eſt, ipſa eſchara non fit a combuſtione, ideſt corrugatione fibrarum, ſed a ſubita contuſione, & laceratione earundem fibrarum, quæ cum circulatione commercium amittunt. Ab hujuſmodi eſchara non modo non impeditur, ſed forſan promovetur hæmorrhagia. Tandem omnia indicata accidentia excipit totius vulneratæ par-

partis, ipſique vicinorum locorum non parva tumefactio, quæ poſt unam, alteramve ab inflicto vulnere horam advenire ſolet. Pendet a majori humorum influxu, minorique refluxu; & majorem influxum advocat ſumma illa irritatio, quam ſenſibiles partes habent vehementer tactæ & laceratæ a duro corpore. Hæc inflammatio eſt, quæ ut plurimum tranſit in gangrænam.

Facti e ſclopeto vulneris cura indicatur.

§.8. Hiſce aut ſimilibus accidentibus ſe manifeſtat vulnus a ſclopeto inflictum, quibus reparandis medicus arceſſitus ſequentia debet operari. Sanguis ſemel iterumque mittatur oportet. Inde enatam hæmorrhagiam ſiſtere præſtat. Poſtea extranei corporis eductio procurari cito debet. Glandem enim plumbeam intra corpus immiſſam eſſe certum eſt, an vero exitum ſibi comparaverit, ignoratur. Itaque in ejus inquiſitionem faciendam ſedula ſit chirurgi diligentia. Collocandus eſt æger in ſitu, in quo vulnus recepit, tunc capitato ſpecillo via eſt diligenter proſequenda ab ingreſſu glandis facta. Si invenitur, tunc den-

tata forcipe apprehendi, & extrahi debet. Quod ſi obſervatur hærere in oppoſitam membri partem, tunc per contraperturam educi poteſt. Tandem ſi nullo modo invenitur, & metus ſit intra aliquam cavitatem lapſam eſſe, tunc naturæ opus committendum, nec vana eſt ſpes, aut peculiarem viam ab ipſa natura elicitam exitum glandi parare, aut cum humoribus, & carnibus ſanis conglutinata nullam in poſterum vitæ noxam inferre. Mihi in uſu eſt ſemper chirurgos rogatos tenere, ne vulneratam partem pro inventione, extractioneque plumbeæ glandis nimis irritent; multoties enim vidi per plures annos intra carnes, & cavitates homines hos globulos habere, & nullam recipere ſanitatis noxam. Educto corpore extraneo procurari debet ut cito decidat eſchara; hinc vulnus filis carptis oleo hyperici, chamæmeli, aut butyro recenti imbutis eſt implendum, quæ ad eſcharæ uſq. caſum ſunt proſequenda; inde plumaceolæ ſpiritu camphorato, aliave vulneraria aqua madidæ ſunt applicandæ ob

ob gangrænæ, quam hæc vulnera facile concipiunt, metum. Et haud vanum erit vulnus decoctione chinchinæ ſemel iterumque abluere. Poſtea communi digeſtivo vulnus tractare præſtat, ut ſuppuratio adveniat. Ubi vulnus bona circumdatur carne, & optimum effundit pus, tunc ut ulcus tractandum eſt. Si percipiatur caro in vulnere mortua, tunc crebris inciſionibus a vivo mortuum ſeparari debet, & convenit modo digeſtivo præcipitatum rubrum adjungere, modo partem abluere decoctione chinchinæ ſpiritu ſalis dulcis infecta. Tandem ſi gangræna in membro proſerpit, ſi cum vulnere magna eſt conjuncta oſſis fractura, præſertim prope articulos, non parvæ arteriæ, nervique læſio facta ſit, de membri ſollicita amputatione eſt cogitandum (*i*).

(i) Conſulite quæſo adoleſcentes Cæſarem Magatum p. 124., & Franciſcum Ledran *aux Traité Reflexions tirées de la pratique ſur les playes d' armes à feu*, in quibus completiſſimum opus de vulneribus a ſclopeto inflictis invenietis.

ARTICULUS III.

Vulnera Venenata.

Quæ ſunt venenata vulnera?

§. 9. VEnenata vulnera dicuntur illa, quæ aut ab inſtrumento venenato, aut ab animali venenato excitantur. Acinacis, teli, aut alius inſtrumenti vulnerantis apex intingi veneno ſive minerali, ſive vegetabili, ſive animali poteſt, & ab hoc inſtrumento excitatum vulnus dicitur venenatum (*k*). Quando vulnus excitatur ab inſtrumento venenato, tunc cum reliquis vulneris ſymptomatibus copulari ſolent & ſequentia. Livida eſt vulneris ſuperficies, admodumque dolet, convulſio ſyncope, & faciei flavus,

(k) Non heic animus eſt omnia recenſere hactenus cognita venena, quæ ex triplici naturæ regno ad animalium, & hominum perniciem deſumuntur. Ea & multa cognita eſſe, & multa adhuc latere neminem præterit. Conſulere poteſtis ſapientiſſimum tractatum de venenis cl. Deſauvages; cujus commendationem multa eruditione, & ſapientia confectam nuper in lucem edidit Michael Attumonelli collega noſter doctiſſimus.

vus, aut lividus color obſervatur. Totum corpus contremiſcit; friget; & humores tamquam veneno undique perfuſi vitæ ſubſtentationi impares ſunt, morſque cito venit. Animalia, quæ ut plurimum morſu vulnus nobis faciunt venenatum ſunt vipera, canis rabidus, ſcorpio &c. Semper in vulnere horum venenatorum animalium dolor vehemens excitatur, quem ſtatim ſequitur vulneratæ partis magnus tumor & livor. In ſolo vulnere animalis rabidi eſt ſanguinis effuſio, in reliquis tantum ecchymoſis; quæ ut plurimum fit ab effuſione ſanguinis intra cellularem ex ſtimulo magno a vulnere facto, & ex laceratione minimorum vaſorum ab acuto morſu animalis producta. Morſus viperæ, & ſcorpionis partem afficit ardenti ſenſu, quem ſtatim ſequitur tumor, livor, & gangræna. Licet verum ſit, niſi in corpore vulnerati reperiatur mala humorum diſpoſitio, morſum ſcorpionis in noſtra regione neque gangræna, neque mors ſequitur. In viperæ morſu non tantum partis vulne-

neratæ, quam totius corporis perturbatio accidit. Per venenum enim introductum, quod ab ore viperæ ſtillat in vulnere, omnes humores vitiantur, inque indolem venenatam commutantur. Ex quo fit, ut ſtatim a morſu viperæ ictericum colorem enatum, convulſiones, delirium, extremorum frigus, ſincopes, & his ſimilia gravia accidentia tamquam ærumnarum finis excipit mors. Rabidi canis venenum ut plurimum poſt 40. ab inflicto vulnere dies in actum venit, & enatam hydrophobiam, pertinacia deliria, priapiſmum, convulſiones tandem mors etiam ſequitur.

Venenata vulnera quomodo curari debent.

§. 10. Vulnus ab venenato inſtrumento inflictum præter commodam ablutionem vini generoſi cum camphora copulati, & adplicationem olei olivarum cum theriaca veteri conjuncti, ut cetera vulnera tractari debet. Si adeſt multus partis vulneratæ lividus color, & gangræna apparet, tunc frequentibus inciſionibus, frequentique chinchinæ decoctionis ablutione medicari oportet. Viperæ, & ſcorpionis morſus

ſus poſtquam aut per inciſiones, & ſcarificationes, aut per ignitam laminam ferream aggreſſus eſt, ſedulo procurandum, ut univerſalis humorum maſſa non inficiatur, idque & ligaturæ ad duorum digitorum diſtantiam factæ, & uſtio ad inſtar circuli a candenti ferro circa vulnus excitata præſtare poteſt. Quando facta eſt eſchara expectandum eſt, ut decidat admota ſemper ſuper eam plumaceola butyro recenti madida. Et ipſum olivarum oleum cum ſpiritu vini camphorato, & theriaca copulatum affectæ parti adplicatum haud vanum emolumentum afferre ſolere non ſemel vidimus. Nec inutile erit in aqua theriacali generoſam chinchinæ pulveratæ quantitatem ſolutam quotidie propinare. Quando aut ignis, aut inciſiones in vulnere venenato factæ ſunt tractari hoc debet ſemper adplicatione plumaceolæ digeſtivo vulgari cum pulvere chinchinæ copulato madidæ. Vidi non ſemel ſuper morſum & ſcorpionis & viperæ oleum olivarum cum ſonchi ſucco recenter expreſſo conjun-

junctum pluries de die confricatum non parum profeciſſe. Canis rabidi morſus magnus cutem, & carnes non raro abſcindens curari ut cetera profunda vulnera debet. Specificum eſt pro viperæ morſu pulvis vulgo dictus *di Roccaſecca* interne cum vino propinatus ad drachmam unam per plures dies. Et in morſu canis rabidi laudant unguentum mercuriale ad evitandam veneni immiſſi violentam actionem, nec non ſupra morſum adplicationem unguenti ſcarabæi majalis.

ARTICULUS IV.

Capitis Vulnera.

Quæ ſunt vulnera in capite advenientia. §. 11. VUlnera, quæ caput afficere ſolent aut in vultu, aut in cranio accidunt. Quæ in vultu fiunt aut mentum, aut os, aut ejus labia, aut genas, aut oculos, aut naſum, aut frontem lædunt. In horum vulnerum curatione non modo attendendum eſt ad procurandam citam earundem cicatrizationem, ſed ad impediendam ipſius

ſius cicatricis deformitatem. De horum vulnerum curatione, quæ *primæ intentionis* eſſe debet, aliquid dicere vetat ſtricta inſtitutionum ratio, eamque apud Heiſterum, alioſque doctiſſimos chirurgos ſapienter deſcriptam invenietis. Nos de cranii vulneribus dicere tantum ſuadet apta dicendarum rerum methodus. Hæc vulnera, diverſæ ſunt ſpeciei. Alia enim ſimpliciter lædunt calvariæ integumenta, alia cum integumentorum diſciſſione thecam oſſeam feriunt, alia tandem intra calvariam penetrantia duram matrem, arachnoideam, piam matrem, cerebrum, cerebellum, medullamque oblongatam lædere poſſunt. Quando ſola calvariæ integumenta ſunt vulnerata, tunc tantum cuticulam, cutim, & membranam adipoſam vulnerari dicendum eſt. Hiſce partibus ſubjicitur aponeuroſis, ſive expanſio muſculorum tendinea, quæ tamquam calvariæ integumentum celluloſæ undique ſubſternitur membranæ. Sequitur pericranium, membrana oſſibus arcte adnexa. Has omnes partes lædere poteſt inſtru-

ſtrumentum feriens, & ita factum eſſe cognoſcitur ex cauſa vulnerante, ejus figura, parva vi, qua vulnus inflictum eſt, ſymptomatum levitate, & attenta ſpecilli obſervatione. Hiſce enim omnibus patere evidenter poteſt ſola externa cranii loca vulnerata eſſe (*l*). Quando vulnus capitis ad os non

(l) Nulli dubium eſſe poteſt vulnera capitis penetrantia ſequi ſolere vertiginem, tinnitum, ſingultum, vomitum, ſomnolentiam, ſenſuumque pene omnium abolitionem. At in vulnere capitis dum nullum horum ſymptomatum apparet facili eſt conjectura inferendum illud tantum eſſe externum. Et ſi ſpecillo diligenter exploretur vulnus, nullaque occurrit durities oſſea, tunc in mollem partem calvariæ, ideſt in ſola integumenta vulnus penetraſſe eſt adſerendum. Ceterum non negandum vel levia capitis vulnera, quæ externa apparent, gravia ſymptomata aliquando ſequi, maxime ſi inſtrumento confecta ſint contundente. Hoc accidit ex tendinum, ſuturarum, pericranii vaſorum cum duramatre communicantium, nervorum, & his ſimilium propinquitate. Non raro convulſiones, palpebrarum, frontis, totiuſque faciei tumor oedematoſus, maximus dolor, læſæ partis corruptio, ipſaque mors externum capitis vul-

non pertingit, tunc ſtatim capilli forfice circa vulnus recidendi ſunt, inde ſpongia vino calido imbuta effuſus ſanguis abſtergendus eſt. Deinde ſedulo, ut ſimplex vulnus, eſt curandum. Evitentur, quo fieri poſſit, aquea, pinguia, & oleaginoſa, & poſt biduum faſciatio renovari debet. Aëris contactus quantum poteſt arceatur, ſitque ipſe aër reſpirationi inſerviens purus. In hiſce enim vulneribus timenda admodum eſt putredo, quæ facile tranſit ad os, indeque ad cerebrum mortem inferens. Hanc vulneris putredi-

vulnus excipit. Id eo vel maxime accidit, ſi cum ipſo vulnere copulatur contuſio. Poſſe per cellulas adipoſæ membranæ congeſtum per vulnus in capite humorem ad uſque vultum deſcendere oedema aliquando ſimplex, aliquando eryſipelatoſum facturum quotidiana docet obſervatio. Poſſe per vaſa pericranii cum illis duræ matris communicationem habentia ad uſque cerebrum pervenire malam affectionem, quam ad exteriora capitis excitat vulnus, inibique gravia parere ſymptomata non novum eſt in chirurgia exemplum. En ratio cur prudentiores chirurgi vel leviſſima capitis vulnera mortis periculo non carere adſerant.

dinem aër humidus, & craſſus potiſſimum facit. En ratio cur vel leviſſima capitis vulnera in SS. Annunciatæ noſocomio ut plurimum mortem inferre ſoleant. Situm eſt enim xenodochium in loco paludoſis & humidis exhalationibus repleto. Quod ſi putredo jam apparet, tunc tinctura myrrhæ, & frequenti vini calidi ablutione vulnus tractandum eſt. Si ad perioſtium vulnus pervenerit, & nudatum os apparuerit, tunc caute vulneris hiatus cuſtodiendus eſt, & balſamis adhibitis procurari debet, ut cito ſubcreſcat caro, impleaturque vulneris fundus. Quando vulnus capitis ſimplex probe curatum ad citam non pervenit cicatrizationem, tunc ſubeſt timor de oſſis læſione.

Quot modis oſſa cranii lædi poſſunt. §. 12. Hujuſmodi cranii læſio multiplex eſſe ſolet. In primis conſideranda venit illa cranii coloris degeneratio, quam os concipit propter vulneratum perioſtium (*m*), ſed ut plu-

(m) Notum omnibus eſſe reor principem pe-

plurimum læditur cranium quinque modis. Nam aut fit *fiſſura*, aut *fra-ctura*, aut *intropreſſio*, aut *contuſio*, aut tandem *dedolatio* conſtituitur. Fiſ-ſura eſt continui ſolutio oblonga & anguſtiſſima in oſſe facta per vehe-mentem ictum. Hæc dicitur *fiſſura capillaris*, quæ nec digitis, nec viſu percipitur, ut diſtinguatur a viſibili, quæ utpote magna ſenſibus patet. Ca-pil-

pericranii uſum eſſe dare oſſi vaſa humores vehentia, & ab oſſe venientia vaſa humores pariter revehentia recipere. Hiſce vaſis me-diis arcte oſſi perioſtium adhæret. Princeps itaque oſſis vitæ conſervatio pendet a libero fluxu, & refluxu ſanguinis per indicata vaſa. Quando vulneratur perioſtium abſcinduntur multa vaſa, quæ intra oſſis laminas ingre-diuntur, atque ab ipſis laminis exeunt. Perit igitur circulatio, ſtagnat ſanguis intra os, quod ita album colorem in pallidum & fuſcum mu-tat. His apparentibus nulla interpoſita mora, ne veniat oſſis putrefactio diligenti terebra eſt variis in locis vicinis perforandum os, ut quo fieri poſſit, ablata reſiſtentia exterioris lami-næ cranii detur libertas vaſis extra os pullu-lantibus, ut retexant iterum perioſtium invi-cem ſupra cranium connexis. Sic obſervamus poſt hanc operationem periculoſa capitis vul-nera cito curari.

pillaris fiſſuræ exiſtentiam oſtendit ſequens artificium. Accipiatur niger cinis oſſium combuſtorum, & in aqua ſolvatur. Hac nigra aqua imbuatur ſpongia, quæ in fundo vulneris mundato, deponat atramentum ita, ut integre expoliatum os tingatur. Paulo poſt ſtatim os abſtergatur. Si rima eſt, nigredo penetrabit in eam, & abſterſo oſſe, apparebit rimæ locus nigrore infectus. Huic rimæ capillari dignoſcendæ ſpecilli obſervatio diligens ut plurimum par non eſt. Ne cum ſuturis confundatur fiſſura ſedulo eſt advertendum. Id præter expoſitum ſignum ab atramento deſumptum etiam non cita vulneris conſolidatio, putridi ichoris emanatio, oſſis coloris in lividum mutatio, atque aliquando cerebri functionem non parva læſio ſtatuere cito poteſt. Licet non negamus ſtrepitum & ſonitum a tangenti ſpecillo in oſſe aliquando obſervatum aut fiſſuræ, aut fracturæ cranii indicium eſſe. Datur & contra fiſſura, quæ eſt capillaris rima facta in eo cranii loco, cui cauſa findens ex op-

oppoſito fuit applicata. Sic v. g. ſi quis ictum in fronte recipit, fiſſuram habet in oſſe occipitis, aut ſi quis in durum objicem incurrit dextera calvariæ parte fiſſuram recipit in ſiniſtram. Hujuſmodi contrafiſſuræ exempla in chirurgia paſſim occurrunt. Sequitur fractura, quæ eſt oſſis ab una ad aliam faciem ruptura. Hæc ruptura eſt ſimplex ſi unicum tantum fragmentum ab oſſe eſt ſeparatum; compoſita ſi plura fragmenta ſecedunt ab oſſe, & videtur calvariæ os in varia minuta fragmenta veluti ruptum. Utraque fractura cognoſcitur viſu, & ſpecillo. Nam ſi & vulnerati ori datur chorda molaribus dentibus adſtrigenda, & adſtantis manu alterum chordæ extremum tenditur, & pulſatur, tunc ab ægrotante ſonitus, & ſtrepitus in locum affectum perſentitur, quod eſt fracti oſſis ſignum. Et ſpecillum explorans ſcabritiem cognoſcit. Intropreſſio eſt oſſis pars depreſſa, quæ ut plurimum per ictum duri & obtuſi corporis introdeſcendit duram matrem, cerebrumque læſura. Contuſio eſt cal.

variæ oſſis læſio, quæ per inſtrumentum durum obtuſumque fit. Hujus inſtrumenti ſi rumpuntur plurima vaſa intra oſſa decurrentia & in oſſe ecchymoſis fit veluti in molli parte. Dedolatio tandem conſtituitur, quando inſtrumentum oblique ſecans ſquamam ab cranii oſſibus ex integro abſtulit (*n*).

Quomodo fiſſura curari poteſt. §. 13. Quando facta eſt fiſſura, tunc ſedulo attendendum, ut mundetur locus vulneratus, ne humorum emanſione multa putrefiant cum oſſe vicina loca. Inde implendum eſt vulnus plumaceolis ſpiritu vini, vel balſamo copayve madidis. Poſtea ſuperpoſito duplicato ſplenio apta eſt vulnus faſciatione ligandum. Fiſſura capillaris poſt ſanguinis ablutionem primo aptis inſtrumentis dilatari oportet ad fundum uſque, deinde ut par eſt, medicari debet. Si vero integumenta capitis non ſunt reciſa, & ſuſpicio adeſt

(n) Conſul. adoleſcentes Gortheri Chirurg. repurg. lib. II. c. III. p. 85., in qua varias cranii fracturas recenſitas invenietis.

adeſt fiſſuræ jam factæ, tunc crucifor- mis ſectio eſt inſtituenda, deinde fiſ- ſura, ut monuimus eſt curanda. Si adeſt fractura aut unius fragmenti, aut plurium oſſiculorum, tunc inſpicere debet chirurgus an fruſtula ſint arcte, aut laxe nimis oſſi reliquo adhæren- tia, aut cerebrum, ejuſque membra- nas lædunt. Quando laxe oſſi adhæ- rent, & cerebrum lædunt, tunc ſe- dulo dentata forcipe extrahi debent. Si vero nullam cerebro noxam infe- runt, & arcte oſſi adhærent relinquen- da ſunt; experientia enim conſtat con- glutinari cum reliquo oſſe poſt pau- cos a faſciatione dies. Cranii contu- ſionem ſanat vini calidi ablutio; ab- ſterſio vulneris, & in apparenti oſſis coloris mutatione levis terebratio. Intropreſſionem gravia ſymptomata, veluti vomitum, ſomnolentiam, apo- plexiam, convulſiones &c. inducentem curare præſtat cita depreſſi oſſis ſub- levatione. Hanc in juniorum potiſſi- mum calvariis tenaci emplaſtro adpli- cato oſſi, inde ſimul & ſemel extra- cto ope fili medium emplaſtri adli-

gantis, & cucurbita ſicca anthliæ forma admota, ſæpiuſque repetita perficere poteſt. Quando adhibito hujuſmodi artificio nulla oſſis reſtitutio accidit, tunc aperienda eſt calvaria ope terebrationis, & introducto ferro urgendum eſt os ita, ut penitus reſtituatur in priſtinum ſitum. Ægrum jam ſenſibus ſopitum ob gravem compreſſionem cerebro inductam, & ob effuſionem ſanguinis cerebrum comprimentem, debet revocari ad ſenſus ope convenientium medicamentorum. Sic adhibitis herbis aromaticis, veluti roſmarino, chamæmelo, majorana, mentha, & his ſimilibus vino incoctis, vel aqua, cumque aceto copulatis totique calvariæ admotis, & facta ſanguinis repetita miſſione, procurari debet ut æger ante terebrationem reviviſcat. Ruyſchius non facile terebrationem admittebat, niſi prius obſervabat per alia remedia ægrum non reviviſcere. Temerarium enim & crudele ſemper eſt, niſi conſtet, fragmenta oſſis, aut intropreſſionem cranii adeſſe, quæ ſine terebratione tolli ne-

nequit, poſt ictum, aut vulnus capitis turbatas encephali functiones ſtatim, adhibito trapano, facta cranii perforatione, velle curare. Verum quando certum ſit humores eſſe extravaſatos & in cerebro collectos, vel adeſſe oſſis fruſtulum cerebrum comprimens &c., tunc quo citius, eo melius terebratio inſtituenda eſt, ne mora longiori cerebrum, ejuſque membranæ corrumpantur, aut harum partium vaſa ulterius ulteriuſque dilacerentur, ſicque inevitabili fato æger extinguitur.

ARTICULUS V.

Vulnera Pectoris.

§. 15. PEctoris vulnera vel ſunt penetrantia, vel non penetrantia. Omnis itaque diligentia collocari debet, ut cognoſcatur num in pectoris cavitatem perveniat vulnus. Si ex vulneris hiatu tranſit aër, qui dum valide expiratur ab ægro candelam prope vulnus collocatam aut ex- *Vulnera pectoris alia penetrantia alia non penetrantia ſunt.*

tinguat, aut fortiter agitat, tunc vulnus penetraſſe ſtatuitur. Nec denegamus hoc ſignum aliquando non eſſe tutum in hujuſmodi caſibus. Nam obliqua tortuoſa vulnera, & potiſſimum facta in corpore obeſo ab interno pectoris liberum exitum aëris non permittunt. Utuntur prudentes chirurgi aquæ tepidæ per ſiphonem inſtituta immiſſione, quæ ſi retinetur vulnus penetraſſe indicat. Et haud ſpernenda ſunt ſymptomata penetrantia in cavum pectoris vulnera comitantia. Tuſſis moleſta eſſe ſolet, qua educitur & ſanguis & medicamentum, per vulnus immiſſum. Ex immiſſione aëris intra pectus emphyſema univerſale non raro efformatur. Superioribus menſibus vidi juvenem annorum 22. facie, pectore, & abdomine undique aëreo tumore correptum. Hic duo vulnera ex parte laterali & poſteriori pectoris in cavitatem penetrantia accepit (*o*). Ju-

(*o*) Mirus univerſalis emphyſematis vulnus pectoris penetrans excipientis caſus legitur in Reg.

Juvenis tuſſi educebat ab ore vinum tepidum aqua copulatum, quod chi-

Reg. Acad. Scient. an. 1713. mem. p. 20.
Adhibere chirurgi ſolent ſpecillum ad dignoſcendam vulneris pectoris conditionem. Solent ægrum collocare in eo ſitu, in quo vulnus accepit, inde aptant ſpecillum, quod cum multum penetrare videant, ſtatuunt in cavum pectoris vulnus penetraſſe. Verum hoc non certum tutumque eſſe ſignum ſolet. Nam ut plurimum hiatus vulneris obcæcatur ex ratione, qua integumenta pectoris contrahuntur ob mortis metum in actu ferientis inſtrumenti, inde relaxantur. Et ex ratione, qua enſis, aut gladius ante coſtas gliſcens multum ſpatium intra cellularem excurrit, quin in pectoris cavitatem penetrat. Hoc in caſu ſpecillum magna ex parte intra vulnus immittitur, & interim non penetrat. *Nam ſi ad ſternum fuerit vulnus, forſan ad membranas interſepientes penetravit telum, non autem ad thoracis cavitatem, atque multa ſpecilli portio inter ſternum & eas membranas deliteſcens ſpeciem affert vere penetrantis vulneris.* Verba ſunt Cl. Cæſaris Magati *lib.* 2. *c.* 69. *p.* 101. Nec raro accidit, ut vulnus ad pleuram uſque pervenerit, & forti ſpecilli introductione perforetur pleura, ſicque evadit vulnus, quod antea non erat, penetrans. Hiſce rationibus evidenter patet quantum ſpecilli obſervationi fidere debetis in ſtatuenda vulnerum in cavitatem pe-

rurgus per ſiphonem in vulnera immittebat. Sanguinem ſpumoſum ex ore frequenter educens poſt duos ab acceptis vulneribus dies periit. In ſectione cadaveris inveniebantur lata vulnera pulmones lateraliter, & poſterius ferientia. Ergo patet tutum certumque ſignum vulneris penetrantis, & pulmones lædentis eſſe ſpumoſum ſanguinem tuſſi per os eductum. Quando vulnus pectoris eſt penetrans, præter corruptionem, quam ab immiſſione novi aëris intra pectus pulmones & cor concipere poſſunt, & ab effuſione ſanguinis intra ipſum pectoris cavum etiam non parvam corruptionem memorata viſcera habere poſſe, certum eſt. Hujuſmodi ſanguinis effuſionem facit diſruptio, quam vaſa per pectoris cavum excurrentia obtinent ab vulnerante inſtrumento.

§. 16.

pectoris penetrabilitate. Quod ſi hujuſmodi ſpecillum adhibere debetis nonniſi tentabunda, & prudenti manu id faciatis oportet. Numquam negligenda a vobis eſt ſymptomatum modo memoratorum obſervatio.

§. 16. Signa, quibus cognoſci poteſt ſanguinem intra pectoris cavum extravaſatum eſſe, ſequentia ſunt. Fætor non parvus, & per os vulneris, & per exſpirationem emiſſus, pulmonum, cordiſque læſio, orthopnæa, ſanguinis excreatus, decubitus in dorſum commodior, in læſum latus difficilis, in ſanum impoſſibilis, ponderis ſenſus in diaphragma, materiæ fluctuatio, febris auctior, ſumma debilitas, faciei pallor, ſudor frigidus, & his ſimilia. Hæc omnia indicant ex collecto, & putrefacto ob loci calorem ſanguine pulmones, & cor inſigniter lædi. Neque denegamus poſſe aliquando per non parvum tempus ſanguinem circa pulmones colligi, interim nullam labem & ipſi & cordi inferri. Pluries vidi homines pectoris penetrantia vulnera accepiſſe, & poſt multos dies copioſiſſimam fætidi & nigricantis humoris quantitatem per vulnerum hiatus educere, & interim ſanos evadere. Id tunc accidere poteſt, ſi nempe factus ſanguis extravaſatus mora & loci calore, nec non aëris ingreſſu degener

Quibus ſignis cognoſcitur intra pectus eſſe ſanguinem extravaſatum.

ner & putridus, dum nullam labem infert pulmonibus facili modo educitur per patentem vulneris hiatum. Quodcumque pectoris vulnus methodo *primæ intentionis* tractandum eſt. Quando ex memoratis ſignis apparet ſanguinem circa pulmones, & cor hærere extravaſatum, ſtatim ad ipſum educendum tota eſt opera collocanda. Idque obtinebitur prius facta diligentia circa vulneris directionem, quam ad normam rectam determinabit chirurgus ſpecillo prius immiſſo, & facta, ſi convenit, debita apertura, qua omnis vulneris obliquitas tollitur. Poſt id collocandus eſt æger eo in ſitu, quo videtur proprio pondere ſanguinem educi. Juvatur hujus ſanguinis eductio per vulneris orificium, ſi æger comprimat manibus abdomen, & aërem diu in pectus inſpirando retineat, poſtea, clauſa glottide exſpirationis nixum faciat. Hoc molimine diaphragma ſurſum aſcendit, pulmo multum dilatatur, & ſanguis effuſus per vulneris hiatum educitur.

§. 17.

§. 17. At non ſemper vulneris apertura patens eſt, ut ſolo ſitu corporis totius extravaſati ſanguinis eductio habeatur, nec ſemper unus corporis ſitus ſervari poteſt. Hinc cogitaverunt chirurgi modum quo ſemper vulnus apertum ſervari poſſit, idque ope tubi flexilis ex plumbi lamina confecti obtinebant. Hunc tubum per vulneris aperturam altius in pectus immittebant, inde aut ſuctu, aut ſiphone applicato, extrahebant ſanguinem. Tubi apex obtuſus ſemper requirebatur, ne pulmones læderet. Verum ſi ſanguis non fluidus eſt, & in grumos denſatus libere exire nequit, tunc tepida cum aceto copulata pluries de die ſiphone immittenda in pectus eſt hac ſpe, ut ſanguis diſſolvatur, ne diu detentus corrumpatur. Addunt nonnulli mel & ſal, ſicque conficiunt remedium aptum ſanguinis concretioni diſſolvendæ. Quod ſi, adhibitis hiſce, ne quidem educitur ſanguis extravaſatus, interimque nuper memorata gravia ſymptomata perdurant, & obſervatur vulnus in ſuperiori re-

Quomodo extravaſatus ſanguis educi poteſt.

ctoris parte factum exitum ſanguini extravaſato imam pectoris partem ſemper petenti non concedere, tunc cogitandum ad aliam faciendam pectoris aperturam. Cum autem conſiet diaphragma obliqua poſitione ſemper in poſteriora pectoris profundius immergi, factum eſt, ut ad dorſum pectoris inter ſecundam & tertiam coſtam ſpuriam in latere ſiniſtro, in dextero inter tertiam, & quartam ad diſtantiam quatuor tranſverſorum digitorum a vertebris commodior apertura inſtituatur. Semper autem habenda eſt ante oculos regula, ut ſectio fiat eo in latere, in quo conſtat ſanguinem certe collectum eſſe. Hujuſmodi regulam colligere poteſtis ex iis, quæ de pectoris paracenteſi pro curando empyemate a nobis dicta ſunt. Verum non negandum poſſe ſanguinem extravaſatum in pectus tuſſi educi, & abſorptum ab inhalantibus vaſis per urinæ vias excerni, quemadmodum quotidianæ docent obſervationes. Quando aperitur caute debet ſervari vulnus, ne aëris frigidi introductione pulmo-

mones, & cor lædi poſſint. Turundarum opera diligenti manu eſt adhibenda, ne accidat intra pectus turundæ alicujus lapſus, a quo non parvum incommodum vulnerati accipiunt. Aër, ſi quodammodo immiſſus eſt emphyſema pariens, tunc vulneris labia ſunt conſtringenda, dum valida inſpiratione æger dilatat pulmonem, & ipſa labia ante exſpirationem ſunt aperienda, ſicque educetur ingreſſus in pectus aër. Adhibent nonnulli quoque ſuctionem ad eundem finem obtinendum. Quando omnis eſt ſanguis aërque eductus, tunc vulnus pectoris ad cicatricem, quo citius fieri poteſt, perduci debet. Sicque vulnera pectoris penetrantia curari ſolent (*p*).

AR-

(p) Solet non raro ante os vulneris ſanguinis trombus primo fieri, qui ſemper impedit effuſi ſanguinis intrapectus eductionem. Ad hunc tollendum trombum aut ſpecillo, aut digito adhibito primum eſt cogitandum. Verum quando magnum pectoris vas, ſcilicet aut venam cavam, aut arteriam pulmonalem, aut arteriam aortam late inſtrumentum vulneraverit, tunc

ARTICULUS VI.

Abdominis vulnera.

Abdominis vulnera triplicis ſunt ſpecies. §. 18. ABdominis vulnera triplicis ſpeciei ſunt. Alia non

tunc trombus ille natus educendus non eſt, qui circa oſtium vulneris factus impedit quominus vas vulneratum pergat ſanguinem effundere, ſicq: quodammodo vita ſubſtinetur. Ceterum partes, quæ vulnerari in pectore poſſunt, pulmones, cor, cavæ venæ, arteria pulmonalis, aorta, œſophagus, trachea, & diaphragma ſunt. Harum magni uſus partium vulnus citam inferre ſolet mortem. Paræus diaphragmatis, & œſophagi vulnus quodammodo amplum ſemper lethale vidit. Parvum tracheæ & pulmonum vulnus curatum aliquando vidit Liv. x. chap. 30. Cordis vulnera, præſertim ſi auriculæ & ventriculi ejus transfixi ſint, lethalia eſſe, omnes ſcimus, Verum vulnerum ad mucronem cordis pervenientium facilem inde curationem ſuſcipientium exempla plura referunt miſcellanea curioſa Germanica T. III. p. 50. & ſeq. Hinc patet chirurgiæ inſtitutioni nos inſervituros minime de peculiaribus hiſce vulneribus agi poſſe. Nam hæc aut citam inferunt mortem, aut ſi quodammodo vita ægri protrahitur univerſali curandorum vulnerum methodo tracta-

non ſunt penetrantia; alia penetrantia ſunt & non lædentia; reliqua ſunt penetrantia & lædentia. Cognoſcuntur ſpecillo, quo vulneris conditio detegi ſolet. Sed & in obeſis hominibus, iiſque quibus ob datum corporis ſitum inflictum eſt vulnus obliquum, a ſpecillo nil boni pro detegendo vulnere expectari poteſt. Adhibent quoque ſiphone factam tepidæ injectionem, cujus rei nuper §. 6. mentionem fecimus. Sed & ipſa vulnerantis inſtrumenti figura cum vulneris amplitudine comparata non leve dat indicium de vulneris penetrabilitate. Si v.g. obſervatur teretrum & exile inſtrumentum profunde in abdomen penetraſſe, & contra id ipſum arte parum adactum fuiſſe, aut oblique per abdomen excurriſſe, tunc certa vulneris conditio patebit. Quod ſi ad uſque peritonæum pervenerit

ctari debent. Omnis diligentia chirurgi igitur verſari debet circa extravaſati ſanguinis & introducti aëris in pectus promptam eductionem, quam indicata methodus præſtabit.

vulnus, ablata æquabili preſſione, per vim reſpirationis ita expandetur peritonæum, ut facto ſacculo, ingrediatur in locum vulneratum herniam facturum, in quam abdominis contenta deſcendere ſolent. Hujuſmodi vulnera communi methodo (§.3. & ſeq.) indicata curari debent cavendo ſemper, ne fiſtulæ & herniæ accidant. Quare latum vulnus ſutura ſicca eſt tractandum, faſciisque & ſpleniis eſt muniendum. Quantum fieri poteſt validam inſpirationem æger evitet oportet. Sic nil in exonerandis fæcibus, & expellenda urina conari debet diaphragma. Idcirco clyſteres ſæpe ſunt injiciendi, olerum, & fructuum horæorum uſus laudandus eſt, ut, quo fieri poſſit, lubrica alvus ſervetur. A ſternutatione, a tuſſi moleſta, a cantu, a vociferatione, a riſu, aliisque id genus fortibus pectoris concuſſionibus temperare ſe debet vulneratus. Sedulo advertatis oportet adoleſcentes vulnera non penetrantia curaturi, ne ipſa in ſuppurationem citam faceſſerint. Id accidere poterit, aut

aut quando præter ſola integumenta, etiam muſculi abdominis vulnerati ſint, aut quando nimis cellularis pinguedo circa vulnus aggeſta ſit. Nam aut vulneris profunditas fluidum ſervat extravaſatum, & exitum promptum non obtinet, caloreque loci in ſuppurationem faceſſit; aut ipſa aggeſta pinguedo facile in ſuppurationem degenerat. Tunc metus eſt, ne in vulcus fœtidum abeat vulnus. Cui evitando incommodo ſemper valet ſedula *primæ intentionis* methodi adminiſtratio, & potiſſimum calidiuſculi vini adpoſitio, & ſemper bonum erit frigidi aëris, quo pinguedo ſemper corrumpitur, acceſſum evitare.

§. 19. Vulnera in abdomen penetraſſe, ſtylo adhibito, tepidæ injectione, vulnerante cauſa cognita, & contentorum egreſſu cognoſcitur. Sed præ omnibus valet obſervatio exitus eorum, quæ in abdomine continentur, præſertim omenti, & inteſtinorum. Hæc facile excidi in vulnere abdominis penetrantia conſtat experientia. Sed poteſt compreſſa pinguedo ita vul- *Quibus ſignis cognoſcitur vulnera in abdomen penetraſſe.*

O ne-

neris hiatum obturare (quod in obeſis potiſſimum accidit), ut nec ſpecillum, nec tepida intra abdomen immitti poſſit, tunc non levi diligentia oſtendi debet vulneris terminus. Si vero fæcum, bilis, urinæ, aliorumque humorum in viſceribus abdominis contentorum per vulnus eductio fit, indubitata eſt ipſius inter abdomen penetratio. Vulnus penetrans eſſe poteſt, ſed non lædens, idque abſentia ſymptomatum indicare poteſt, ſi ſcilicet nulla febris, nulla functionum ad viſcera in abdomine ſita pertinentium læſio appareat. Quando ita eſt vulnus, cavendum, ne frigidi aëris ingreſſu vitientur viſcera, & fiat tympanites, atque extravaſatus ſanguis, eodem modo, quo antea dictum eſt, educi debet. Apta autem adhibita gaſtroraphia claudendum eſt, & cicatrice per ſplenia, & faſcias rite admotas obducendum. Quando vulnus eſt lædens pro partis ratione diverſa diverſo poſſunt modo lædi viſcera in abdomine contenta. Ad dexterum hypochondrium jecoris limbus, felleæque veſiculæ fun-
dus

dus vulnerari poteſt, unde partim bilis per vulnus exit, partim in cavum abdominis fluit. Lethale vulnus eſt. Parvum per ſe coaleſcit; magnum vulnus in fœdum ulcus tabem inferens faceſſit. Ad regionem epigaſtricam vulnerari ventriculus poteſt, a quo vulnere exire poculenta, & execulenta ſolent. Vulnus ut plurimum eſt lethale, licet aliquando curari docent obſervationes. Parvum vulnus apta nutritio inſtituta, clyſteres injecti, & adhibita gaſtroraphia curat. Magnum vulnus ſutura aggredi poteſt. Ad ſiniſtrum hypochondrium vulnerari lien poteſt, in quo, ſi magna non læſa ſunt vaſa, curatio accidere ſolet. Si circa umbilicum iliacamve regionem vulnus penetrans ſit, tunc inteſtina, & omentum excidunt. Hæc ſi ſana ſunt, ſtatim calido vino abluenda, & leni preſſione intra abdomen reponenda ſunt, & vulnus, ſi peramplum ſit, gaſtroraphia aut ſutura ſicca claudi debet. Si vero quæ exſciſa ſunt refriguerint, animalibus recens mactatis prius foveri, inde re-

poni debent. Si arctius quam reponendis inteſtinis par ſit vulnus, probe dilatandum quantum ſufficit operationi peragendæ. Si vero inteſtinum pro aëre rarefacto nimis diſtenſum eſt acu variis in locis eſt pungendum, ut detumeſcat, & introducatur. Omentum una cum inteſtinis pari modo eſt intra abdomen immittendum. Si vero nigrum corruptumque ſit factum, ligari cerato filo ſolet, indeque abſcindi. Quando poſt corrupti abſciſſionem reliquum ſanum intra abdomen immittitur, relinquuntur fila per vulnus propendentia, ut, laxata tandem parte, ſeparata educi poſſint.

Inteſtinorum vulnera quomodo tractanda ſunt. §. 20. Quod ſi ipſa inteſtina frigida, ac nigra facta ſunt, ideoque gangræna affecta eſſe appareat, tunc aut gangrænata portio eſt tollenda, & uterque extremus inteſtini ſutura eſt uniendus, aut non ſunt penitus abſcindenda inteſtina, ſed tantum vino, decoctione chinæ cum aloe, & mirrha copulata ſæpius abluenda ſunt, atque intra abdomen introducenda, hac

hac ſpe, ut uni naturæ principi morborum curatrici morientis jam jam ægri ſors committatur. Docuerunt enim obſervationes ſeparata inteſtinorum extrema conjungi, & gangræna jam concepta inteſtina expoliari. Inteſtinorum vulnus per longitudinem rimam efficiens pellionum ſutura eſt claudendum. Et ſi tranſverſe abſcinditur inteſtinum, ſuturaque nequeunt labia vulneris uniri, tunc ſuperius inteſtini extremum cum gaſtroraphia eſt uniendum hac ratione, ut artificialis in loco affecto remaneat anus, a quo fœces, fœdo ſpectaculo, tota vita educantur. Hæc autem operatio locum tantum habere poteſt in inteſtinis craſſis, quia in tenuibus ob effuſionem chyli vita cito deficiat neceſſe eſt. Renum, & uretrum vulnus ea ratione admittere curationem poteſt, ſi parvum ſit, & nullam corruptionem inferat. Veſicæ urinariæ vulnus parvum non magni eſt momenti, præſertim ſi vacua fuerit. Si vero plena veſica vulnerata fuerit ab effuſa urina in cavum abdominis ſem-

per de morte ægri timendum eſt. Quando uterus læditur poteſt mors advenire ex inflammatione, aut gangræna, quam vulnus ſequitur. Et ſi fœtus in utero ſervatur breviori curſu ad mortem tendunt vulneratæ. Hujuſmodi vulnera, ob metum ſupervenientium convulſionum temperata & dulci manu tractari debent (q).

SE-

(q) Antequam hanc neceſſariam chirurgiæ partem derelinquamus de vulneribus articulorum pauca adnotare operæ prætium putamus. Articulorum vulnera periculoſa ſunt ex ratione, qua ligamentoſas magnas faſcias lædunt, a qua læſione multum timendum eſt. Et per ſummum dolorem a multorum nervorum irritatione factum inflammatio arceſſitur. Humores ibi confluentes intra articulationem effuſi & propter partium anguſtiam, compreſſionemque, liberum non obtinentes fluxum, corrumpuntur, articulationemque vitiant. Et non raro ipſum vulnus anchiloſis excipit ex eo, quia propter neceſſariam articuli quietem curando vulneri opportunam aut cohærent articulata oſſa, aut ipſum articuli gluten in durum abit coagulum articuli motum impediens. Non raro ob collectum intra articulos pus oſſa articulata vitiantur, & poſt multos factos fiſtuloſos ſinus enatam lentam febrim,

CHIRURGIÆ THEORETICÆ

SECTIO III.

DE ULCERIBUS.

ARTICULUS I.

Ulcus in Genere.

§. 1. Continui ſolutio in extima corporis ſuperficie, aut *Quid eſt ulcus.*

O 4 in

brim, & maciem excipit mors. Hæc vulnera methodo *primæ intentionis* tractanda ſunt. Semper opportuna eſt faſciatio levis ſuperducta vulneri cooperto plumaceolis vino, aut quodam balſamo imbutis. Unica ſpes commode curandi hæc vulnera repoſita eſt in procurando libero fluxu puri vulnus excipienti. Id obtinetur tuto, quando chirurgus circa articulationem excitat varias contraperturas, per quas fluendo pus, liberantur capſulæ articulandæ ab corruptione, & oſſa articulata ab ea carie, quam ſine dubio conciperent puris retentione. Sic obſervamus chirurgos ſagaciſſimos noſtros Petiti veſtigiis inſiſtentes vulnerum articulationum commodam curationem facere. Quod ſi hæc artis molimina nil

pro-

in quavis alia parte liberam ſuperficiem obtinente patens, vetus facta ab acri erodentique cauſa potiſſimum interiori, dicitur *ulcus*. Hujus variæ ſunt ſpecies. Aliæ enim tantum in mollibus partibus naſcuntur, aliæ ad oſſa uſque penetrant immo ab oſſium vitio derivant. Mollium partium ulcera alia ſunt ſimplicia, alia complicata. Priora, præter id, quod manifeſtant, nullum occultant vitium; poſteriora & habent margines calloſos, & præter fundum manifeſtum, habent pariter rivulos radiceſque in ſubjecta loca latitantes. Hæc re vera dicuntur *ulcera fiſtuloſa*. Deinde alia ſunt diuturna, alia recentia: nonnulla ſunt plana, nonnullaque profunda. Quædam ſunt fixa & permanentia, aliaque depaſcentia, & herpetica. Benigna, & maligna ulcera dantur.

proficere obſervatur, interimque æger ob frequentes ſuppurationes articuli tabe conficitur, atque ad mortem tendit, tunc ad membri amputationem faciendam animus eſt convertendus.

tur. Poſteriora, præter ſymptomatum, quibus corripiuntur, malum apparatum, multum, & fœdum emittunt humorem, putrida carne implentur, & ſordido callo obdureſcunt. Hæc dici ſolent *cacoëthica*, & *cancroſa*. Quando hæc ulcera fiunt ab exteriori cauſa, debet neceſſario erodi fibrarum contextus ab acri & corroſiva adplicata materia. Sic ignis, cauſticum, & his ſimile aliud corrodens corpus cuti admotum ulcus excitat. Vulnera frequenter ab ulceribus excipi docet ab externa cauſa ulcus fieri ſolere. Quando fit ab interiori cauſa, hæc corrodens, & acris pariter ſit oportet, quæ in locum ulceratum per circulationem venit. Hinc merito practici experientiſſimi dicunt non eſſe purum ſanguinem, ſed acribus corroſiviſque particulis fœdatum reperiri in corporibus, quibus ulcera facta ſunt. Et eo major eſt ſanguinis fœditas, quo magis ulcus eſt impurum, materiamque ichoroſam, fœtidamque effundit. Hujuſmodi ulcera depaſcentia ſunt, & febrim ſecum con-

conjunctam habent. Febris enim accenditur ab ea acri, & corroſiva cauſa humoribus circulantibus mixta, quæ nervos, corque irritat. Et facti humores intra ulcus venientes mora, locique calore putreſcentiores, irritantioreſque, & in ulcerata parte dolorem irritando ſemper excitant, vigiliam, inquiemque arceſſunt, & intra ſanguinem revehentes continuam febrim, maciem, mortemque parere ſolent. Et adplicata majoribus vaſis corroſiva materie, ita ea corrodit, ut inemendabilem, aut magnam hæmorrhagiam pariat. De hac lethali hæmorrhagia ſemper timendum eſt, quando ulcus corroſivum, & depaſcens magno vaſi ſanguineo proximum exſtat, aut ipſi vaſi ſuperincumbit.

Varia eſt ulcerum prognoſis. §. 2. In cacochymis & hydropicis hominibus enata ulcera aut nullam, aut difficilem admittunt curationem. Vetuſta, cacoethica, calloſa, herpetica, multum viride, & male olens pus effundentia inſanabilia ſane ſunt ulcera. Quæ oſſis ſubpoſiti vitium continent, quæ circa magna vaſa, & mul-

multos nervos locantur, quæ in quandam penetrant cavitatem, quæ circa articulos excitata ſunt, quæ in partibus nimio humore perfuſas, veluti ano, utero, ore, naribus &c. enaſcuntur ulcera, aut numquam, aut ægre admodum curantur. Si recentia ſunt ulcera, ſi bonum & non multum emittunt pus, ſi callo orbantur, ſi ſuperficialia, & æqualia apparent, & in bonis humoribus gaudentibus corporibus facta ſunt, tutam citamque promittunt curationem. Huic abſolvendæ ulcerum curationi in id unice incumbendum, ut quo fieri poſſit vitiata humorum circulantium craſis emendetur. Ceterum medicus ulcus quodcumque curaturus tria hæc præſtare debet, primo, nempe, ut ab omni extranea, præternaturalique materie ulcus liberetur; ſecundo, ut cavum ejus bona carne impleatur; tertio, ut tandem cicatrice obducatur. Poſſe aliquando in vulnerata parte remanere ferientis inſtrumenti fruſtulum, aut glandem (quemadmodum accidit in vulneribus a ſclopeto infli-

flictis) aut ſpinam, aut aliud quodcumque extraneum corpus, certum eſt. Ulceri ab vulnere venienti huic numquam curatio adhibetur, niſi hoc extraneum corpus educatur. Nam id impedit ut ſenſim elongatæ vitæ fibræ invicem coaleſcant. Et ſi cavum vulneris ſordido pure lardoque ſimili impletur, aut ſi undique callo circumducitur, numquam curabitur, niſi prius deterſum ſit pus, & callo mundatum ulcus. Ita de fungoſa ſentiendum eſt carne, quæ non raro per ſuperficiem ulceris luxuriat, cui tollendæ ſemper attendendum eſt. Quomodo extraneum poſt vulnus relictum extrahendum ſit corpus dictum eſt §. 8. ſect. 2. Quomodo vero ſordidum ulcus mundandum ſit docent ſequentia. Multum, & ſuperfluum pus debet primo abſtergi, & abſorbi ſiccis plumaceolis, deinde vulgare digeſtivum eſt applicandum ſordido ulceri. Componitur hoc ovi vitello, & terebinthina oleo ſoluta invicem mixtis & conquaſſatis. Quando ulceri hoc medicamentum plumaceolis exceptum ad-

admovetur calore partis diſſolvitur, & ad uſque vivam carnem deſcendit ſua qua pollet aromatica, & ſtimulanti virtute fibras irritat, leviterque concutit, quapropter diſcutiuntur fibræ ab eo, quo veluti lento craſſoque obſidentur pure, & per novam humorum ratione ſtimuli factam affuſionem bona promovetur ſuppuratio, qua lentum, & viſcidum pus ab ulcere ſecedit, & cum plumaceolis mixtum educitur. Et ſi magna eſt ſordities ulceris, tenacique multo cooperitur ſordido tegmine, mel roſaceum digeſtivo addere proficuum eſt. Quod ſi, hiſce adhibitis, obſervatur non eſſe ulcus expoliatum, noſtrates chirurgi magnum calcinatum Paracelſi ſorditiei adſpergunt, inde plumaceolis digeſtivo madidis ulcus cooperiunt cum magno ægrotantium emolumento.

Sequitur ulceris curatio.

§. 3. Certum mundati ulceris ſignum eſt parvi, æqualis, lactiginoſi, mucoque ſimilis puris generatio, fundi ulceris rubri apte emergentis obſervatio, & ambitus undique callo orbati, & ſenſibilis inſpectio. Ad com-

commodam ſemper procurandam ulceris ſordidi abſterſionem juvat ipſum abluere aqua dulci ab aliqua altitudine cadenti, antequam unguenta applicentur. Et ſi hujuſmodi lavacrum ſit decoctione chinchinæ pauxillo roſacei mellis ſemper infecta, meliori ratione procuratur abſterſio. Solet non raro intra ulcus ſordidum fortis excitari dolor, cui compeſcendo juvat inſperſio pulverum abſorbentium, potiſſimum ex magiſterio matris perlarum, & oculis cancrorum præparatorum, nec non ablutio ex decoctione hyoſciami facta, antequam remedia applicentur. Nec inutile erit cum unguentis parvum theriacæ veteris copulare. Quod ſi per diutinam ulceris eroſionem cujuſdam arteriolæ apertura facta ſit, tunc ubertim ſanguis effunditur, & niſi hæmorrhagia hæc compeſcatur timor mortis ſubeſt. Huic itaque tollendæ prodeſt cum bolo armena, & terra ſugillata ſympathici pulveris parum copulare, & ulceri admovere. Concinnari quoque poſſunt turundæ ex carptis filis, quæ im-

implendo vulveri ſufficiunt, & poſtquam in albumine ovi conquaſſato revolutæ ſunt, ſupra vulcus, & potiſſimum ſupra vaſculum apertum antea memoratis pulveribus opertum collocandæ ſunt; inde ſuperpoſitis ſpleniis, optime obvoluta faſcia ſupra ulcus omnia firmanda ſunt. Dum hæc ſedulo fiunt, neceſſe eſt æger a ſternutatione, riſu, ira, corporis agitatione, cibis aromaticis, vino, venere, & his ſimilibus abhorreat. Manum ſupra ulcus aut adſtantis, aut ægri leniter camprimentem tenere tamquam princeps remedium hæmorrhagiam compeſcens a medicis eſſe creditur. Nec hujuſmodi manus preſſio, nec indicata faſciatio ſolvenda, niſi poſt horas 24.. Qui jubent magnum vas apertum perquirendum, inde ligandum eſſe, hi non recordantur in ſordido ulcere ut plurimum latere os vaſis apertum, & etiam ſi inveniatur, aut vana, aut inutilis ſit ligatura quando vas corroſum eſt. Unica magni vaſis aperti curationis ſpes in membri amputatione collocanda

da eſt, quæ non ſine magno vitæ periculo inſtitui poteſt. Ceterum noſtrates Chirurgi inventam apertam arteriam non ſine fructu ligare potius ſolent, quam amputationem inſtituere. *Turniquet* apponere ut dictum eſt, methodus cenſenda eſt opportuna, qua ſiſti poteſt hæmorrhagia ſordidi ulceris ab magni vaſis eroſione facta. In pedum, tibiarumque ulceribus mundandis, penituſque claudendis ægrum quieſcere lectoque committi neceſſario imperandum eſt. Callus ulceris ferro abſcindendus eſt, aut admoto igne conſumendus. Lapide infernali ſuperficiem ulceris ſuſpenſa manu tangere noſtrates chirurgi ſolent, & poſt factam, deciduamque eſcharam rubra, & ſenſilis caro emergit. Luxuriantem carnem conſumit, eroditque aut ſimplex pulvis uſti aluminis, aut cum hoc pulvere copulatum præcipitatum rubrum. Verum ſemper fatendum eſt non poſſe ulcus curari niſi prius ſanguis ſua acredine expoliatus, dulciſque factus ſit. Huic obtinendo fini valent remedia vulgo dicta ſanguinem de-

depurantia, quarum præcipua deſumuntur ab herbis antiſcorbuticis, veluti acetoſella, naſturtio, cochlearia &c. Imo & aquas vulgo dictas antivenereas, & noſtram ptiſanam compoſitam ab ſarſa parilla, cortice ligni ſancti, & ſennæ foliis optimam ægris afferre opem novimus. Aquæ thermales, & balneæ aquæ dulcis, annuente præſertim tempeſtate profeciſſe quoque vidimus. Verum fatendum eſt hæc remedia opportuna ſemper evadere in curandis ulceribus ab interiori ſcorbutica cauſa productis. Quod ſi a lue gallica aut facta ſint, aut fomitem accipiunt ulcera, mercurialium ſive internorum, ſive externorum uſu curari debent. Nec novum eſt videre ulcera depaſcentia gallica ſiſti, & ſanari ſolo litu mercuriali. Cachecticos, & hydropicos ulcera habentes non niſi remediis ſerum, & lympham per alvum, & urinæ vias expurgantibus, nec non fibras quodammodo roborantibus curare præſtat. Utile hoc in caſu eſt infuſum ligni quaſſiæ cum martialibus

copulare & per ſeſquimenſem & ultra propinare. Aeris elaſtici, & mineralibus effluviis repleti uſus eligendus. Quod ſi putrida ſaburra primæ viæ ſcatent, a qua ulcera malignum ſemper fomitem ſuſcipiunt, per emetica, & cathartica eſt educenda ſaburra, indeque decoctione chinchinæ cum addito ſpiritu vitrioli dulcis eſt corrigenda, cujus remedii virtute ulcera putredinoſa corrigi & curari feliciter non ſemel vidi. Nil enim utilius eſſe ſolet pro mundandis ſordidis, & putridis ulceribus chinchinæ pulvere pluries de die propinato. Diætæ ratio ſtricte ſervanda eſt. Et in peſſimum ruere ſtatum ulcera eorum, quorum victitandi ratio mala fuit, frequenter cognovi. Animi mæror abjiciendus eſt, lætitia, & ſpes, quibus perſpiratio promovetur, in animo ſit. Venus ſemper fugienda ab viro ulcus geſtante.

Id ipſum ſequitur. §. 4. Hiſce hactenus expoſitis remediis quoque obtinetur, ut ulcus bona impleatur carne. Huic vero peragendo operi ſolam naturam valere

fa-

ſateamur oportet. Nam carne impletur bona ulcus, ſi probe elongatis vaſis, in ulcere ſibi invicem occurrant. Id accidit, quando bene enutriuntur vaſa, & nutritio iſthæc ſolius naturæ mirabile opus eſt. Noſtra intereſt, adoleſcentes, hanc miram nutritionem non turbare, & ulcus methodo jam indicata tractare, potiſſimum ſi probe mundatum ſit, & ab ulteriori corruptione defendatur. Hinc optimum eſt digeſtivum vulgare, aut aliud nutritivum balſamum, veluti Arcæi, aut peruviani &c. Quando hiſce remediis madidam plumaceolam tollit Chirurgus ab ulcere, caveat, ne forti gravique abſterſione tenerrimum mucum ab vaſis exudantem detrahat. Hoc enim modo impedietur ulceris in cicatricem tranſitus. Reliquum ipſa facit natura. At advertendum ne ultra debitum creſcant vaſa, & veluti luxuriantem generent carnem. Pulvis tutiæ cum camphora, & mirrha copulatus ulceri adſperſus conſtringendo vaſorum extrema ſuperficiem ulceris ipſius perficiat,

cat, impeditque ne ultra limites creſcat caro, imo ipſa caro ſenſim exſiccata, & ſolidata ulceris cicatricem parit. Accidit non raro, ut ſenſim ſenſimque ulcus anguſtatum, ſed numquam perfecta cicatrice obductum obſervetur. Id accidere poterit ex quodam callo medium ulceris obſidente, a quo impeditur totalis vaſorum invicem occurrentium unio. Hoc in caſu ducunt per medium ulceris ſuſpenſa quoque manu lapidem infernalem Chirurgi, qua callus aufertur, ſicque cicatrix ulceri cito inducitur.

ARTICULUS II.

Fiſtula.

§. 5. ANtiquum ulcus per rivulos, ſulcoſque varios intra carnes deſcendens anguſto, alto, calloſoque diametro præditum dicitur *fiſtula*. Effunditur ab hoc ulcere ut plurimum major puris quantitas, quam cavitati fiſtulæ reſpondet. Morbi ſedes eſt in celluloſa membrana, in quam

quam penetrans pus viam ſibi eligit facilem, qua per varias carnium partes excurrens rivulos, cuniculoſque facit, quorum interiorem ſuperficiem callus obducit, ex eo, quia multum tempus requiritur ad expurgandum, replendumque ſinum, & ita ulceris orificium frequenter diuque exponitur aëri propter callum enatum, ſicque impeditur partium coalitus, & fiſtulæ pus multum effundentes diu adfligunt. Nec raro accidit, ut per repetitam turundarum in ulceris orificium introductionem, qua affrictus jugis efficitur, ulceris labia dureſcant, & fiſtulæ fiant. Ut autem cognoſcatur an fiſtula ſimplex ſit, an plures ſinus contineat, utuntur prudentes chirurgi ſequenti artificio. Siphone aquam excipiunt tepidam, & in fiſtulam immittunt. Si parva aquæ quantitas in fiſtulæ orificium penetrat, parvum ulceris hiatum exſtare indicat. Si vero multa aquæ quantitas in fiſtula recipitur, amplum ejus ſinum exſtare dicendum eſt. Si item aqua in aliquem circa ulcus locum ſe

recipit, eumque tumefacit, fiſtulæ ſinum in eum locum tendere indicat. Et quo plures partes circa fiſtulam ex injecta aqua tument, in multipliciores rivulos fiſtulam abire putandum eſt. Præterea comprimere ſolent chirurgi eadem circa fiſtulam ſita loca, & compreſſionem verſus fiſtulæ orificium ducunt. Nam quo ex loco puris exitus apparet, ibi diſtenditur ſinus cum fiſtula communicans. Hi ſinus quo ſunt longiores, quo anguſtiores, diuturnioreſque, eo fiſtulam reddunt pertinaciorem. Quando ſinus in membranam cellulofam penetrant, reddunt diuturniorem fiſtulæ ſedem. Ani fiſtulæ ſunt pertinaciores reliquis ex eo, quia in pinguedinem recto inteſtino circumpoſitam terminantur. Fiſtula in tendinem, in nervum, inque articulationem tendens difficilem ſuſcipit curationem. Recens fiſtula non duras habens oras, in corpore ſano nata, cujus fundum tangi, & faſciis comprimi poteſt, facilem promittit curationem.

§. 6.

§. 6. Pro communi fiſtulæ curatione obtinenda debet ſedulo inquiri ipſius profunditas, & tota interior ejus ſuperficies concepto callo mundari, omnique extranea materia expurgari convenit. Si callus orificium fiſtulæ tantum occupat, & quamvis duriuſculus ſit, & omnino indolens, tamen poſt adplicatum emplaſtrum mucilaginum, aut malvæ cataplaſma adpoſitum, ſcarificari poteſt, inde aut digeſtivo vulgari, aut unguento ægyptiaco plumaceolis excepto cum addito pauxillo aluminis, vel præcipitati rubri digerendus eſt. Quod ſi durior callus eſt, & hiſce cedere nequit remediis, aut aqua ſtygia, aut butyro antimonii, aut ipſo lapide infernali tangi debet toties, quoties penitus deſtruatur. Si vero non tantum orificium, ſed omnis ſinus ſuperficies callo ſit obducta, tunc ſulcato ſpecillo intra ſinum introducto ſecundum ejus directionem, aut forfice recurva retuſo prædita apice, aut ſcalpello tota ſinus ſuperficies eſt aperienda, cui nuper memorata remedia *Fiſtulæ curatio deſcribitur.*

ſunt adplicanda ad finem calli deſtruendi. Anguſtum nimis fiſtulæ orificium dilatari debet vel radicis gentianæ fruſtulo, vel ſpongia præparata ad inſtar turundæ. Deſtructo callo, ablatoque omni extraneo corpore, partes invicem conjungi ſanas neceſſe eſt. *Neque enim verendum eſt purum corpus puro corpori junctum non coeat, adjectis quoque medicamentis ad id efficacibus, cum ſæpe exulceratio digitorum, niſi magna cura proſpeximus, ſaneſcendo in unum os jungat* (r).

Id ipſum ſequitur. §. 7. Poſt fiſtulæ aperturam, & calli deſtructionem, ſi ſinus relicti ſunt callo orbati extrorſum comprimendi ſunt implicatis ſpleniis & faſcia. Ita impeditur omnis materiæ collectio, & mutuo laterum contactu ſinus conjungi, & ſanari debent. Dum adhibetur compreſſio, & tentatur ſinuum glutinatio, bonum eſt aliquam abſtergentem decoctionem in ſinus ſiphone immittere. Optima eſt decoctio hordei

(r) Verba ſunt ſapientiſſimi Celſi Lib. V. Cap. 28. pag. 328.

dei cum melle roſaceo copulata, vel decoctio chinchinæ cum mirrha conjunctæ. Nos cum fructu magno immittimus aquam gurgitelli. Quod ſi non ſufficit compreſſio, quemadmodum accidit in ſinubus per declivium deſcendentibus, dummodo abſit metus incidendi magnam arteriam, magnumque nervum, ipſi ſemper aperiendi ſunt vel forfice, vel ſcalpello. Quod ſi aperiri poſſunt, ultra ſpem citius curantur. Quæ latent ſemper timenda ſunt, & fiſtulæ, niſi in apertum ponantur, aut nullam, aut difficilem curationem admittunt. Si adeſt ani fiſtula ipſa eſt ſecanda falcato inſtrumento, cujus apex ſit globulo munitus, qui globulus tangere debet indicem alterius manus in ano immiſſum, ſicque defenditur inteſtinum a ſectione fiſtulæ. Tandem ſi in fiſtulæ fundum adeſt oſſis caries, antequam ſanetur fiſtula, tollenda eſt caries, aliter peſſime fiſtula recrudeſcit (s).

AR-

(s) De vetuſtis crurum ulceribus, atque de her-

ARTICULUS III.

Combuſtio.

Quomodo ex combuſtione partes externæ vexantur.

§. 8. QUando corpori noſtro applicatur ardens ignis ſive lu-

herpete nonnulla heic adumbrare jubet recta chirurgiæ theoreticæ inſtituenda ratio. Vetuſta tibiarum ulcera cum ſemper habenda ſint tamquam univerſalia corporis emunctoria, è quibus jugis acris, venenatique materiei eductio fit; liquet ipſa curari non poſſe, niſi diu æger lecto committatur, & eorundem curationem non ſine ægrotantis periculo accidere debere. Nam, ipſis curatis, impeditur antiqua acris materiei eductio e corpore, ſicque vaſa replentur veneno lædendis pulmonibus apto. Et ſive quod hæc venenata materies e corpore redux per venas pulmones primo adoriatur, ſive quod hujuſmodi venenum habeat ſummam cum pulmonibus affinitatem, illud certum eſt, aſthma, tuſſim pertinacem, febrim acutam, hortopnæam, ipſamque mortem corripere eos ſolere, quibus vetuſta curata ſunt crurum ulcera. Quod ſi hæc ſymptomata appareant, & certo conſtat ſanata vel præpoſtero artis molimine hujuſmodi ulcera eſſe, ſtatim duo emplaſtra veſicatoria aut ſupra, aut circa locum ulceratum adplicanda ſunt ea ratione,

lucens, ſive non lucens pro durationis varietate, proque partis diverſi-

ta-

ne, ut nempe promoveatur per partes antiquas conſuetus venenatorum humorum effluxus. Nec ſanguinem depurantibus medicamentis, veluti lacti caprillo, aquis antivenereis, ptiſanæ ex lignis indianis paratæ, carnibus viperarum, & his ſimilibus parcendum eſt. Neque audiendi ſunt illi pſeudomedici, qui jubent poſſe hujuſmodi ulcera curari, ſi prope loca ulcerata excitatur fonticulos. Nam hi credunt naturam poſſe per artificialia ulcera educere illud venenum, quod educere ſolet per propria & antiqua excitata ulcera. Nos illud tantum ſuademus, ut, qui ad datam reſtrictionem volunt reducere ulcus antiquum, ut imminuti veneni eductionis aliquis habeatur compenſus; ſibi faciant prope ulcus fonticulum. Hac enim ratione diuturnam hujuſmodi ægros vivere incolumem vitam cognovi. Sancte vobis teſtari poſſum, adoleſcentes, ægros diuturnorum ulcerum curationem aut artis, aut naturæ præpoſtero molimine obtinentes ut plurimum mori ſolere, aut tabe confectos, aut gravi capitis læſione, aut acuto pectoris morbo exſtinctos. Quapropter etiam atque etiam vos moneo, ut, hujuſmodi ægros conſulendo in id unum incumbatis, ut æternam ſervetis antiquorum ulcerum aperturam. Quod de ulceribus crurum diximus, de omni-

bus

tate oritur deſtructio vaſculorum, & extravaſatio humorum varia. Sed quocum-

bus aliis ulceribus antiquis ſentiendum eſſe volumus. Eſt herpes ulcus ſerpiginoſum, quod per cutim hinc inde excurrit. Quando non uno continuo ulcere, ſed ulcuſculis variis, interpoſita carne, conſtat morbus, dici ſolet *herpes miliaris*. Dolet ulcus tactu, & fœdi eſt coloris, mutationemque facile ſuſcipit. Non primum enim vetus ſanatur ulcus, & novum exoritur priori pejus. Quando unum continuum ulcus ſerpens ac depaſcens eſt, nec raro fœdiſſimum effundens humorem, oraque habens calloſa dici ſolet *phagedænicum*. Herpes fit ab acri, corroſivaque materia aut ſcorbutica, aut gallica, quæ ſanguinem ita impurum facit, ut generationi, perennitatique hujus morbi parem faciat. Nec herpes curari poteſt, niſi prius depuratus ſit ſanguis. Hinc merito chirurgi aquam antivenereum, ſerum lactis cum decoctionibus herbarum antiſcorbuticarum copulatum, viperam, & alia hujuſmodi antiſcorbutica medicamenta propinant pro curando herpete ab ſcorbutica labe producto. Si vero lues venerea in cauſa morbi ſit hiſce remediis addunt mercurium, & potiſſimum litum mercurialem adhibent. Ulceri adplicare ſolemus aut aquam calcis, aut unguentum roſaceum cum præcipitato albo conjunctum. Vidi ſuperioribus menſibus ſanatum hujuſmodi ulcus frequenti aquæ piſciarelli mox a ſuo fonte erumpentis ablutione.

cumque modo, quacumque duratione, cuicumque corporis noſtri parti adplicatur ignis, ſemper effectus erunt varii reſpondentes variis inflammationis gradibus. Nam leviter ignis tangens vel ſenſibiliſſimam corporis partem nonniſi tumorem rubrum, & dolentem excitabit, qui indolem eryſipelatis referre valebit. Paulo ulterius producta ignis actio veſiculas elevat viſcido plenas humore, & ſuperficies aduſtæ partis quadam tingitur nigredine. Hic ſtatus repreſentat gangrænam ab inflammatione productam. Tandem ulterius ulteriuſque ignis actio producta ad oſſa uſque omnia conſumit inſtar ſphaceli ab inflammatione venientis membranas, carnes, tendines, nervos, omneſque partes exſiſtentes inter oſſa & locum aduſtum ſitas. Nec immerito dicunt chirurgi tot eſſe combuſtionis gradus, quot inter ſimplicem inflammationem, & fortiſſimum ſphacelum intercedunt. Et haud impar eſt ratiocinium eorum circa combuſtionis effectus, dummodo reponunt ex vi ignis deſtrui va-

vaſcula cutim, & cuticulam conjungentia, effundi inde humorem contentum, & dolentiſſimum tumorem rubrum excipi veſiculas limpida aqua plenas.

Quid eſt peſſimus combuſtiones gradus. Peſſimus ille combuſtionis gradus eſt, in quo adeſt ardoris, tenſionis, & rigiditatis ſenſus, cutis eſt livida, immo & nigra, nec adſunt niſi circa combuſtum locum veſiculæ flavo humore plenæ. Tandem & hicce ſenſus penitus deficit, omnia item deſtruuntur, & pars veluti ſphacelo corripitur. Quando per ignem rupta ſunt vaſcula, effuſi ſunt humores, & coagulati, indeque natus eſt tumor, tunc per ſupervenientem ſuppurationem hæc omnia amitti debent, & mortuum a vivo ſic ſeparatur. Fœdum inde oritur ulcus, quod raro ſine turpi cicatrice curatur. Difficile enim tanta ſubſtantia perdita reparari poteſt. Nec reticendum aliquando vel levem combuſtionem in corporibus cacochymis, ſcorbuticis, atrabilariis, aliiſque ſanguinem impurum gerentibus in pertinaciſſimum, fœdiſſimum-

ſimumque ulcus degenerare. Etiam pars ipſa læſa conſideranda eſt, quæ pro majori, vel minori ſenſibilitate, uſu, neceſſitate &c. majorem vel minorem ſuſcipit a combuſtione læſionem. Oculi præ ſumma, qua pollent, ſenſibilitate vel per levem combuſtionis vim & ſummum pariunt dolorem, & viſus læſionem obtinent.

§. 9. Morbus curatur rite, ſi habeatur ratio ſtatus, & naturæ combuſtionis. Quando intra terminos reſolvendæ inflammationis exſiat combuſtio, unice attendendum ad remedia antiphlogiſtica adhibenda. Sanguis itaque ſemel iterumque mittendus eſt, ſerum lactis cum aqua ſambuci nitro aut ſale polychreſto copulatum non parca copia propinandum, & parti affectæ albumen ovi cum oleo ſimplici conquaſſatum eſt adplicandum. Alvus lubrica ſervari debet, & per clyſteres emollientes injectos, & per pulpam tamarindorum cum cremore tartari conjunctam ad unciam unam non ſemel propinatam. Et advertendum eſt aliquando hujuſmodi medicinam *Combuſtionis curatio.*

etiam

etiam in iis combuſtionis caſibus, in quibus nulla reſolutionis ſpes exſtat, locum habere. Dum celeberrimus Boerhaavius machinæ Papinianæ experimentis adſiſtebat incidit in tale infortunium, ut fervidiſſima aqua in faciem repente diſſiluerit, & intra veſtem deſcendens brachium fortiter uxerat. Tota facies mox in bullas elevabatur, palpabræque tumidiſſimæ ſiebant viſum omnem impedientes. Illico ſibi ſanguinem mitti ad uſque animi deliquium jubebat, & ſequenti die venæ ſectionem repetendam curabat, & ſatis forte purgans ſumpſit. Solo unguento nutrito faciem inungi curabat, & emplaſtro ex lapide calaminari tegebat. Hujus periculoſæ combuſtionis cura cito facta eſt, ut poſt octo, vel novem dies penitus in publicum omnium civium admiratione, & voluptate ſummus vir incolumis prodiret (*t*). Quando per combuſtionem facta eſt ſuppuratio, quæ ſo.

(t) Conſul. Swieten. T. 2. in comment. aphor. Boerhaav. p. 297.

ſola corruptum & mortuum a vivis partibus ſeparat, tunc unguentum roſaceum, aut oleum cum nive, & albumine ovi conquaſſatum adhiberi præſtat. Vidi frequenter hoc medicamento admoto graviſſimas combuſtiones partium ſuppurationem inferentes feliciter curatas. Quando autem gangrænæ ſignum apparet propter vehementem combuſtionis vim, tunc præſtat decoctione chinchinæ ſpiritu vitrioli dulcis infecta partem frequenter fovere. Nec inutile erit hujuſmodi medicamentum interne exhibere. Laudant nonnulli unguentum ægyptiacum in ſpiritu vini diſſolutum, quod plumaceolis excipiunt, partique admovent combuſtæ. Quando ad cicatricem perducitur hujuſmodi combuſtio, & ob perditi magnam quantitatem ex decidua eſchara venientem partis deformitas remanet, quod in facie & manibus adveniens ſummopere adfligit, huic quodammodo evitandæ deformitati confert uſus emollientium, & relaxantium medicamentorum, ex aquis, cataplaſmatibus, unguentiſque parato-

torum, ut vaſcula in cute exiſtentia elongentur, & ipſius cutis rugoſitatem tollant. Cauti adoleſcentes estote in hujuſmodi medicamentis adhibendis, ut quo fieri poſſit, faciei, præſertim amabilis ſexus, deformitas a combuſtione venienda arceatur.

CHIRURGIÆ THEORETICÆ

SECTIO IV.

DE LUXATIONIBUS.

ARTICULUS I.

Luxatio in genere ſumpta.

Quid eſt luxatio, & quomodo accidit.

§. 1. SCeleton hominis multis conſtare oſſeis fruſtulis omnibus notum eſt. Hujuſmodi fruſtula per varios articulationum modos ſibi invicem jungi anatomica docet obſervatio. Has articulationes natura firmat ope ligamentorum circa oſſa articulata perbelle diſpoſitorum, quibus datam laxitatem, datamque firmi-

mitudinem dedit, ut laxitate motui articulationis cederent, & firmitudine reſiſterent vehementer cauſis diſtrahentibus, ne facili ex cauſa accideret luxatio. Quando itaque aut ab externa, aut ab interna cauſa vel rumpuntur, vel debilitantur ligamenta, ita ut oſſis extremum in articulari cavea amplius non retineatur, fit *luxatio*, vel *delocatio*, quæ dicitur remotio oſſis e proprio, quem naturaliter occupabat, loco cum proprii motus impedimento. Hæc definitio ſemper accipienda eſt, iis in caſibus, in quibus a proprio cavo exit oſſis pars articulata; & hujuſmodi luxationem excipit motus voluntarii impedimentum. Nam in naturali maxillæ motu, in quo e cavea ſua temporali exit maxilla inferior, quæ intermediæ cartilaginis ope caveæ jungitur, nulla exſtat luxatio. Sed & datur ſubluxatio, in qua parum os excedit, & motus quodammodo labefactatur. Quamcumque luxationem cauſæ efficientes aut externæ aut internæ ſunt. Quando ligamenta a vi diſten-

 den-

dente, premente, ſecante, rumpente &c. externa ita afficiuntur, ut os in ſuo cavo retinere non valeant, fit luxatio. Sed & ab cauſa interiori luxationem fieri quoque ſolere quotidiana docet obſervatio. Id accidere poteſt ſequenti modo. In cavo articulari, vapor tranſpirabilis, & a glandulis averſianis ſegregatus humor oleaginoſus colligitur. Hoc effecit natura ut, quo fieri poſſit, evadat facilior motus articularis. Sed multis ex cauſis hicce humor plus juſto colligitur articuli veluti hydropem facturus, qui humor ſenſim ſenſimque diſtendit ligamenta, & debilitat, eaque reddit imparia continendis oſſibus articulatis, ſicque accidit, ut levi ex cauſa oſſa e propria articulatione excidant. Nec denegamus poſſe aliquando intra articulationem fieri inflammationem, quam excipit luxatio. Hanc inflammationem facere poſſunt plures cauſæ interiores. Sed poteſt quoque fieri a cauſa externa. Si v.g. quis cadit & gravem in majori trochantere patitur compreſſio. Caput

fe-

femoris tunc urget caveam iſchii cotyloideam, ſicque glandulæ & vaſa comprimuntur, a qua compreſſione oriri poteſt inflammatio, ſuppuratio &c. Ita diſtrahuntur, & debilitantur ligamenta caput femoris intra articulationem firmantia. Sicque levi quocumque motu excidit os, luxatioque fit, quam non raro poſt aliquot a lapſu dies ſe vidiſſe teſtatur Petitus (*u*). Et ipſa muſculorum paralyſis poteſt quoque morbum, de quo ſermo eſt, facere. *Nam ſi v. g. ligamenta articulationis humeri, cum ſcapula relaxantur, interim muſculi brachium moventes ſunt paralytici, proprium brachii pondus exire facit e ſcapulæ cavitate caput humeri. Nam dum ligamenta nequeunt retinere, muſculi vim amplius non habent brachium ſubſtinendi* (x). Convulſiones quoque lu-

(u) Memoir. Acad. des Sciences an. 1721.
(x) Verba ſunt cl. Ludovici Petiti de morbis oſſium Lib. I. T. I. p. 73. qui addit muſculos & ligamenta invicem operari in retinendis oſſibus in propria articulatione, & mutua

xationem afficere ſolent, quibus tam vehementer retrahuntur oſſa, ut e propria cavitate excidere poſſint. Tandem caput oſſis præ juſto augeri poteſt, quemadmodum in rachiticis accidit, ſuæque cavitati impar evadit, ſicque luxari ſolet.

Quibus ſignis cognoſcitur oſſis luxatio.

§. 2. Signa, quibus luxatio indicatur, ſequentia ſunt. Figuræ in parte mutatio, tumor, membri accurtatio, vel elongatio; partium ſubjacientium torpor, & paralyſis, immobilitas, dolor, pervigilium, inflammatio, oëdema, anchyloſis, atrophia, gangræna &c., quemadmodum do-

---

tua eorum actio inſervit pro alterutrius in mutua actione virium reſtauratione. Ideo ſi ex quacumq. cauſa ligamenta relaxantur, debet luxatio accidere, licet muſculi proprio gaudeant tono, qui aliud ſemper ſunt in contractione. Ita licet ligamenta naturali donantur contractione ob muſculorum paralyſim accidit luxatio, quia deficiente muſculorum contractione proprium oſſis pondus trahit ligamenta, quæ relaxantur tandem, & luxatio fit. Quando accidit hujuſmodi luxatio tunc ſolet præ ſolito elongari pars, motus debilitatur, & abſque ullo dolore excidit os.

docet incomparabilis Boerhaavius (y). Horum omnium ratio ſequens eſt. Ad dignoſcendam luxationem præcipit Hippocrates ſanam partem cum læſa debere conferri (z). Nam ad exemplum integri exiſtimare vitiatum oportet. Quando os e ſuo cavo excidit, tunc & cavitas præternaturalis, & inſolitus tumor apparet. Dum enim caput exciſſi oſſis ſuam articularem relinquit caveam intra muſculos propinquos collocatur, ſicque cum inſolito duro tumore cavitas præternaturalis apparet. Id clarius obſervatur iis in partibus, in quibus non multa pinguedo, & caro collecta eſt. In femoris & iſchii ſtatuenda luxatione quis vel ſagax chirurgus decipi poteſt ob multam carnem, & pinguedinem circa articulationem ſitam. Luxatio humeri cum ſcapula contra haud difficile cognoſcitur ex ratione,

(y) Aphor. 364. in cogn. & curand. morb.
(z) De artic. text. 34.

qua conſtat circa articulationem parum carnis, & pinguedinis aggeſtum eſſe. Poſt luxationem raro obſervatur ſimetria inter ſanam & affectam partem; ut plurimum enim aut brevior, aut longior fit luxata pars, Dum caput oſſis e ſuo cavo excidit retrahitur ſurſum a muſculis, & ita brevius fit membrum. Si vero hanc retrahendi vim muſculi non habent, tunc præ juſto elongatur membrum, quod pene ſemper accidit in iis luxationum caſibus, in quibus aut a paralyſi, aut ab multa humorum colluvie intra articularem caveam collecta, aut ab alia hujuſmodi cauſa morbus oriatur. Compreſſio vero, & paralyſis partium ſubjacientium pendet ab ea compreſſione, quam patiuntur nervi ab oſſe luxato, & immobilitas partis fit ex amiſſo hypomochlio in articulatione ſito ſupra quod incumbunt motus muſculorum. Dolor & pervigilium pendet ab irritatione, quam nervi circa articulationem ſiti poſt luxationem ſubſtinent, & dolor

eo

eo eſt vehementior, quo caput luxati oſſis eſt grandius muſculos, & ligamenta diſtrahens, qui numquam, niſi remiſſo in propria articulatione oſſe, ceſſat. Ab indicata compreſſione, & irritatione pendet inflammatio, quæ mox luxatam excipit partem. Nam ſic obſtruit minimas arterias ſanguis, qui factus mora, & loci calore acris auget irritationem partis, cui accedens a retrovenientium humorum auctus impetus, fit inflammatio (§. 4. *ſect.* 1.); & ex compreſſione venarum, tendinum, & muſculorum circa articulationem ſitorum non libere fluit lympha, quæ in cellulari aggeſta oedema producit, quod ut plurimum reperitur in parte inferiori articuli luxati, a qua vaſa lymphatica veniunt ſuperiora ſemper loca petitura. Nec raro accidit, ut defectum fluxus humorum excipiat gangræna. Atrophia oritur ab impedita humorum circulatione, quod facit gravis compreſſio ab luxatione orta. Tandem anchylosis efficitur ab immobilitate articulationis, in qua humor ar-

ti-

ticularis in oſſeam ſubſtantiam concreſcens utrumque os jungit inemendabili veluti vitio (*a*).

Luxationis prognoſis deſcribitur. §. 3. Luxationis cura variare ſolet pro multis cauſis. Semper periculoſior eſt luxatio epiphyſis oſſis, cujus epiphyſis tarda vel rara admodum eſt ſolidatio. Semper perfecta curatu facilior eſt imperfecta luxatio. Luxatio, quæ ſit a cauſa interna aut nullam, aut admodum ægram admittit curationem. Semper veteribus luxationibus curatu faciliores ſunt recentes. Luxatio cum fractura, inflammatione, vulnere, & his ſimilibus copulata difficilem ſuſcipit curationem. In pueris luxationes facile cu-

(a) Subluxationis ſigna hæc ſunt. Articulatio ſolito eminentior eſt. Membri figura, & longitudo non mutatur. Motus articularis non impeditur. Supra articulationem prominet quodammodo caput oſſis ex ratione, qua conſtat non penitus os exciſſum eſſe, ſed tantum quandam ejus partem ſubluxatam eſſe. Dolor in hac imperfecta luxatione eſt vehementior ex eo, quia caput oſſis circa oram articularem adhuc verſatur, ſicque ſenſibiles partes ulterius, ulteriuſque vexantur, excitaturque fortis dolor.

curantur, quam in ſenibus. Luxatio a convulſione faciliorem ſuſcipit curationem, quam illa, quæ ſit a paralyſi. Ceterum in quacumque luxatione tria ſemper adimpleri debent. Primo ut reſtituatur os luxatum in propria cavitate, ſecundo ut os repoſitum probe cuſtodiatur, tertio ut corrigantur præſentia ſymptomata, & arceantur futura. Luxati oſſis repoſitio eo celerior obtinetur, quo abeſt inflammatio, convulſio &c.. Hæc ſi adſunt expectandum aliquantiſper, ut, adhibitis opportunis remediis, ceſſent. Reponitur os ſola diſtenſione & contra extenſione, quæ commode efficitur, ſi prius, inſpecto oſſe exciſſo, adhibeantur emollientia ex malvæ, chamæmeli, altheæ &c. decoctionibus parata, inde immobiliter ægro detento ſumma vis adhibetur, qua diſtrahitur tantum caput exciſſi oſſis, quantum ſufficit, ut in ſuum cavum ingrediatur. Os repoſitum eſſe docet totius doloris abſentia, & reſtituta membro luxato priſtina figura. Repoſitum os faſcia probe circumducta, & plu-

& plumaceolis retinendum eſt in ſumma quiete, donec tractu temporis aut diſtractorum, aut abſciſſorum ligamentorum redeat aut naturalis tonus, aut regeneratio. Dum hæc peraguntur quodammodo motus in articulo eſt promovendus, ne fiat diuturna immobilitate partis affectæ anchyloſis. Quando ab interna cauſa luxatio oritur medicamenta interna ideo exhibenda ſunt, quia his & paralyſis ligamentorum tolli poteſt, & promoveri debet exitus aut per tranſpirationis, aut per urinæ vias humoris intra articulationem collecti. Hinc diaphoretica, diſſolventia, diureticaq. medicamenta exhibent medici. Et roborantibus remediis affectam paralyſi partem quoque reſpiciunt, nec non uſu veſicantium, & uſtionum promovent effuſionem collectorum humorum. Convulſionem luxationem producentem, poſt oſſis repoſitionem, curant antiſpaſmodica, & anodyna remedia. Oſſis extuberantiam, quam ſequitur luxatio, quemadmodum in rachitide accidit, curare ſolent remedia con-
tra

tra hoc venenum rachiticum alibi (*b*) a nobis propoſita.

ARTICULUS II.

Luxationes Peculiares.

§. 4. CAput noſtrum ope multorum muſculorum rotat ſupra epiſtrophæum, quando occipitis os immobiliter athlanti articulatur. Sed hi motus temperati eſſe debent, ut axis oſſeus rite poſſit reſpondere apophyſibus athlantis. Quod ſi fuerint violenti, & extraordinarii, quemadmodum accidit in iis, qui laqueo ſuſpenduntur, quorum corpus hinc inde agitatur vehementibus motibus, tunc luxari poteſt caput, & ſi alte comprimitur medulla ſpinalis cito extinguitur homo (*c*). Vertebrarum ſpinæ

Peculiarium luxationum adumbrata idea exhibetur.

(b) In tract. de morb. pueror. ubi de rachitide.

(c) Dum Artifex quidam puerum annorum ſex ſuſpendebat manu altera ad mentum poſita, altera ad occiput joci cauſa, ſtatim poſt va-

næ luxatio numquam fit, niſi cartilagines conjungentes earum corpora, & ligamenta multa disrumpuntur. Quod raro accidere ſolet. Ceterum hujuſmodi luxationes, antequam chirurgus arceſſitur, mortem ut plurimum inferunt. Inferior maxilla numquam, niſi anterius luxari ſolet, in qua luxatione os ſemper apertum eſſe debet, & nullo modo maſticatio exerceri poteſt, interim multa ſalivæ copia ab ore educitur; & deglutitio admodum difficilis evadit. Cauſæ hujuſmodi luxationem facientes aut internæ, aut externæ ſunt, quarum mentionem ſupra jam

varias corporis agitationes puer mortuus eſt. In tantis commotionibus caput luxatum eſt, & poſt fortem medullæ ſpinalis compreſſionem ſubita ſecuta eſt mors. Pater pueri jam mortui ulciſcendi cauſa currens retro fugientem artificem projicit poſt tergum malleum, qui percuſſit reum retro nugam. Malleus ſua parte acuta reciſit ipſius loci muſculos, & viam ſibi aperiens inter primam, & ſecundam colli vertebram medullam quoque reciſit ſpinalem, ſicque de repente artificem interfecit. Ita eadem veluti cauſa duo homines mortui ſunt. Conſul. Petit de morbis oſſium lib. 1. T. 1. pag. 94.

jam fecimus §. 2. . Superiori menſe vidi in homine quadragenario in incurabilium noſocomio degente, meæque curæ commiſſo ſponte enatam maxillæ inferioris luxationem. Dum hæc videbam mihi narrabat æger ſe frequenter hanc pati luxationem, eamque curare ſolere faſcia per mentum ducta utramque maxillam conjungente. Vidi enatam luxationem ab atonia muſculorum & ligamentorum, quibus adhibui corroborantia remedia. Poſt dies 20. diſceſſit a noſocomio æger integre curatus. Luxatæ maxillæ reductio fit hoc modo. Chirurgus adſiſtens ſedeat ſupra cubile parum elevato, & ſupra pectus teneat pulvinare, cui vertex ægri incumbat, dum utraque manu frons fortiter conſtringitur, & verſus pulvinare urgetur. Interim alius chirurgus duos manuum pollices intra os immittit uſque ad extremum dentium molarium hac ratione, ut unus pollex dexteram maxillæ partem, alter ſiniſtram urgeat inferius, & retrorſum uſque, dum in proprio ſitu maxillæ remittantur.

tur. Quando unius lateris luxatio eſt, extenſio & repoſitio in una tantum parte abſolvi debet. Poſt hæc faſcia conveniens eſt adhibenda, quæ crucis forma ſupra vertex eſt liganda poſtquam per mentum ſit ducta.

Claviculæ luxationis ſigna & cura.

§. 5. Clavicula luxatur quoque, eaque luxatio & in ſuo capite cum ſterno conjuncto, & in ſua baſi cum acromio articulata accidit. Ut plurimum interna claviculæ luxatione externa ſive illa, quæ in baſi accidit frequentior eſt, ex ratione, qua non modo caput claviculæ ſua cavitate grandius eſt, ſed etiam quia cauſæ claviculam impellentem eam ut plurimum urgent verſum ſternum. Quando luxatur caput claviculæ aut retrorſum, aut antrorſum fertur. Si retrorſum fertur locatur circa tracheam, & œſophagum, ſi antrorſum excedit ſterni manubrium. Claviculæ baſis luxatio aut ſupra, aut infra acromion accidit. Subluxatio hujus partis haud raro pro fractura brachii, aut ſcapulæ ab imperitis chirurgis accipitur. Caſus, & percuſſio vehemens inter externas cauſas

ſas principem tenent pro claviculæ luxatione locum. Solo tactu cognoſcitur claviculæ luxatio. Quæ dum fit aut in acromio, aut in ſterno relinquit patentem cavitatem. Remittitur os ope extenſionis, & contraextenſionis, & poſtquam remiſſum eſt ſumma diligentia eſt adhibenda, ut in ſuo ſitu retineatur; nam levi ex brachii motu excidit iterum os. Faſciæ, plumaceolæ reduplicatæ, aptus brachii ſitus, quies, temperata victus ratio, & his ſimilia a prudenti chirurgo ſunt præſcribenda. Brachii os frequenter quoque luxari ſolet, eaque luxatio quatruplex eſt. Aut enim infra ſcapulæ latus, aut extra hoc latus ſub ſpina, aut interius intra axillæ cavum, aut anterius ſub pectorali inter apophyſim coracoideam & acromion exciſſum os collocatur. Cauſæ hujus luxationis aut internæ, aut externæ ſunt, quemadmodum alibi dictum eſt. Sed cauſæ externæ frequenter hanc pariunt luxationem, quia brachia pene omnes corporis motus perficiunt, & ipſum ſemper a vehe-

mentibus percuſſionibus defendunt. Signa hujus luxationis repetenda ſunt ab iis, quæ adnotavimus §. 2. Plurimas adhibent chirurgi methodos huic curandæ luxationi opportunas. Sed ſemper tutiſſima, & facilior reliquis eſt, quæ perficitur ope extenſionis contraextenſioniſq., & repoſitionis oſſis diligenti manuum chirurgi opera factæ. Clariſ. Petitus machinam concinnavit, qua facilior perficitur extenſio & contraextenſio luxatorum oſſium repoſitioni opportuna. Hujus machinæ deſcriptionem habetis (*d*).

Cubitus luxationis ſigna & cura. §. 6. Quæ accidunt in cubito luxationes aut retrorſum, aut ad latera fiunt. Luxatio vulnæ antrorſum aut numquam, aut rariſſime accidit. Tantum fieri poteſt, ſi ex violento ictu vulnæ olecranon rumpitur. Quando retrorſum fit luxatio, tunc anterior ulnæ apophyſis ingreditur caveam brachii poſteriorem, & cubitus antrorſum flectitur. Nec extendi cubitus

(d) Tract. de morb. oſſ. T. 1. pag. 153. & ſeq.

tus poteſt, quin maximus excitatur dolor. Luxatio, quæ ad latera accidit aut ab extra intus, aut ab intra extra ſit, & quocumque modo accidit ſemper ſummam partis deformitatem infert. Tunc vaſa comprimi poſſunt, & accidunt tumores aneuryſmatici. Cauſæ hujuſmodi luxationem facientes ſunt eædem. Manualis operatio variat juxta variam luxationis ſpeciem. Et poſtquam repoſitum eſt, atque muſculi in æqualem diſtenſionem radacti ſint, cubitus cooperiri plumaceolis ſpiritu vini camphorato imbutis, & in debito ſitu collocari debet. Carpi luxationes fiunt aut ex parte flexionis manus, aut ex parte extenſionis, aut ex parte pollicis retrorſum, aut ex parte digiti auricularis antrorſum. Ex varia luxationis ſpecie manus modo vertitur antrorſum, modo retrorſum. Pronationis & ſupinationis motus vitiantur, & digiti non ſine dolore flecti & extendi poſſunt. Digiti ſuas quoque obtinent luxationes, & modo luxantur ex parte flexionis, modo ex parte extenſionis,

modo exterius eorum phalanges. Harum luxationes vel primo intuitu cognoſci poſſunt, quia parum a pinguedine & muſculis cooperiuntur phalangium articulationes. Carpi, & digitorum luxationes methodo generali extenſionis, & contraextenſionis curari debent.

Femoris luxationis ſigna & cura.

§. 7. Femoris luxatio, ut jam dictum eſt §. 2. raro ab externa accidit cauſa. Quando luxatur caput femoris ab iſchii cotyloidea cavitate exit, & modo fertur ſurſum interius ſupra os pubis, modo ſurſum exterius ſupra nates, modo inferius interiuſque, modoque inferius & exterius. Inter omnes has luxationes frequentior eſt illa, quæ accidit ſurſum interius ex eo, quia verſus ovale abdominis foramen cavitas cotyloidea non multo margine oſſeo obſidetur, & non multum eſt profunda. Luxatio inferius interiuſque numquam, niſi fallor, accidere poteſt, niſi ob paralyſim muſculorum. Quando caput femoris excidit e ſuo cavo ſemper a validiſſimis muſculis ſurſum attollitur.

Si-

Signa, quibus dignoſcitur luxatio capitis femoris furſum interiuſque facta, reducuntur ad ſequentia. Supra os pubis prominet durus tumor factus a capite ſemoris. Solito brevior fit articulus, & genu cum pede extrorſum aliquantulum revertitur. Numquam articulus flecti poteſt, niſi magnus excitatur dolor. Omnes ſub articulatione luxata obſtupeſcunt partes, oedemateque corripiuntur propter compreſſionem vaſis, nerviſque factam. Luxationem furſum exterius factam ſequentia comitantur ſigna. Articulus brevior fit, & tumor ad nates apparet. Vertitur crus interius, & non poteſt ſine dolore exterius ferri. Per totum articulum doloroſa tenſio excurrit. Quando per paralyſim muſculorum inferius deſcendit caput femoris, apparent omnia reſolutionis ſigna, a quibus deſumitur luxationem jam eſſe. Huic curandæ luxationi adhibent chirurgi manus, laqueos, ſimplices poliſpaſtos, & *Petiti machinam*, quibus extenſiones, & contraextenſiones commode perficiuntur. Quando

repoſitum eſt os in ſuo cavo probe aptis faſciis, & plumaceolis eſt cuſtodiendum. Corroborantibus, & antiparalyticis remediis curanda eſt luxatio femoris facta a muſculorum paralyſi. Quando luxatio femoris ſequitur lapſum ſupra majore trochantere, tunc poſt repoſitionem oſſis, & inſtitutam repetitam phlebotomiam applicandæ ſunt duplicatæ vel triplicatæ plumaceolæ ovi albumine, alumine pulveriſato, & ſpiritu vini imbutæ, quæ ſimplici faſcia retentiva ſupra totam articulationem retineri debent.

Luxationis rotulæ & tibiæ ſigna & cura.

§. 8. Luxatur tibia, & rotula quoque, & quando hujuſmodi luxatio accidit cognoſcitur ab ſumma, quæ in genu ſit, deformitate. In quocumque luxationis caſu ſemper cruris extremum vertitur in latus oppoſitum luxationi. Et adhærens tibiæ rotula ſequitur motum tibiæ recedendo e propria ſede. Verum poteſt rotula ex ſe ſola luxari, cujus luxationis princeps ſignum deſumitur a cavo relicto ab ejus remotione. Rotulæ luxatio-

nem

nem chirurgi curant ſola genu diſtenſione, & diligenti manus opera os in ſuo ſitu reponente. Extenſionem & contraextenſionem adhibent ad reponendam tibiam, quam plumaceolis, & faſciis in debito ſitu retinent. Pes extremus ſuas quoque patitur luxationes. Aſtragalus interius luxatur & planta pedis extrorſum vertitur, quando exterius luxatur planta vertitur introrſum. Si luxatur anterius brevius fit calcaneum, & pes elongatur, quando retrorſum luxatur elongatur calcaneum, & pes brevior evadit. Lateraliter luxari aſtragalus nequit ſine malleolorum luxatione. Hac ratione luxari poſſunt calcaneus, cuboide, navicularis, & tria oſſa ſemilunaria, quorum omnium luxationes & partis deformitas, & pedis motuum impedimenta indicant. Phalanges digitorum pedis ſuas quoque patiuntur luxationes, quarum omnium deſcriptionem afferre vetat ſtricta inſtitutionum ratio. Vos adoleſcentes curam luxationum ſuſcipientibus ante oculos veſtros *ſceletōn* frequenter ſubmit-

tatis moneo, ut ejus partes bene inſpicientibus facilis evadat oſſium luxatorum repoſitio, & cura.

CHIRURGIÆ THEORETICÆ

SECTIO V.

DE FRACTURIS

ARTICULUS I.

Fractura in Genere.

Quid eſt fractura, & quatuplex. §. 1. Continui ſolidi ruptura a cauſa externa producta dicitur fractura, ut diſtinguatur ab vulnere, quod eſt continui mollis ſolutio (ſect. 2. §. 1.) Fractura triplex eſt *ſimplex*, *compoſita*, & *complicata*: Prima dicitur ruptura unius oſſis in duas partes. Altera fit, quando os in plurima rumpitur loca, aut ſi in uno membro plura franguntur oſſa. Tertia eſt, quando os ruptum cum vulnere, aut cum contuſione magna, aut alio gravi ſymptomate copulatur. Tandem

dem ſi os in plura rumpitur fruſtula a chirurgis vocatur *fruſtuloſa* hæc fractura, quæ dicitur *farinacea* ſi in minutas partes os frangitur. Simplex fractura vel eſt tranſverſa, vel obliqua. Longitudinalis, quæ fit ſecundum oſſis longitudinem raro accidit, quemadmodum & ipſe fatetur Petit (e). Simplex fractura eſſe poteſt aut *perfecta*, aut *imperfecta*. Prima dicitur quando os penitus rumpitur. Secunda eſt quando non ex integro os rumpitur. Cauſæ fracturas facientes ſemper ſunt externæ. Sed dantur quoque internæ cauſæ, quæ valent oſſa admodum debilitare, ita ut vel ex levi cauſa rumpantur. Venenum ſcorbuticum, gallicum, rachiticum &c. oſſa invadens ea ad rupturam ſubeundam facile diſponit. Signa, quibus fractura cognoſcitur ſunt dolor, motus impotentia, partis mala conformatio, membri aliquando brevitas, & crepitus. Dolor pendet a diſtenſio-

(e) T. 2. p. 3.

ſione muſculorum, & nervorum, quam facit os fractum, quod dum rumpitur recedit e ſuo naturali ſitu, & urget vicina loca. Motus impotentia neceſſario derivat ab deperdito hypomochlio, quod muſculi habere debent in motus exercitio. Mala conformatio partis accidit ex ruptura oſſis, cujus naturalis poſitus, & figura mutatur, quæ mala conformatio ſi viſibilis non eſt propter multam pinguedinis, & carnis aggeſtam quantitatem, ſaltem tactu cognoſci poteſt, quo fruſtulorum fracti oſſis inæqualitates tanguntur. Tandem crepitus derivat a frictione, quam faciunt fracti oſſis fruſtula invicem collidentia dum membrum movetur. Et ſi vehemens, magnaque eſt fractura, vulnerari poſſunt muſculi vaſa & nervi, hinc cum fractura copulari poteſt vulnus, hæmorrhagia, aneuryſma, febris, ac convulſio, quorum ſymptomatum apparatum non raro ſequitur læſæ partis gangræna, & ægrotantis mors. Pro diverſa fracturæ ſpecie variat prognoſis. Simplici ſemper eſt periculo-

ſior

ſior complicata, & farinacea fractura. Hæc fractura pro vario ſymptomatum comitatu variam admittit prognoſim.

§. 2. Ut primum cognoſcatur os fractum eſſe omni ope tentandum eſt, ut diviſa extrema ad contactum accedant, & naturæ opere, interpoſito tenaci glutine, uniantur. Secundum ut in proprio ſitu ſpleniis & faſciis, aliiſque auxiliis teneantur. Tertio, ſi quæ ſymptomata gravia ſint, & compeſcantur, & arceantur. Prima indicatio, quæ a chirurgis *repoſitio* vocatur, obtinetur *extenſione*, & *contraextenſione*. Hoc abſolvitur vel chirurgi manu, vel miniſtri opera, vel laqueis, vel machinis. Itaque repoſitio ſequenti modo eſt peragenda. Ante omnia ſanguis ſemel iterumque eſt mittendus, inde miniſter utraque manu, præſertim magna oſſa, uti femur, tibiam &c. apprehendit, & duo viri ægrum firmum tenent ne operantem inſequatur. Tum chirurgus manuum exploratione in fracti oſſis portiones inquirat, quas fortiter diſtendi diſtrahique ju-

Quomodo fractura curari debet.

jubeat. Dum hæc oſſa fracta diſtrahuntur tractat, tangatque diligenter affectam partem, & ſumma, qua par ſit, dexteritate ad normam, aptamque poſitionem componat oportet. Facta oſſium repoſitione, procurari debet, ut fiat unio, & agglutinatio, quam, interpoſito callo, ſola perficit natura. Ars huic operi abſolvendo favet ſummam conciliando quietem, ne vel quocumque motu impediatur ruptorum oſſium coalitus. Quietem parti conciliant faſciæ palmares, quarum appoſitio hæc eſt. Poſt repoſitionem a dextera ad ſiniſtram partem ducenda eſt longa faſcia; quæ totum pene membrum circumvolvat. Inde alia a ſiniſtra ad dexteram circumducenda eſt faſcia. Imbuantur hæ faſciæ oxycrato, inde palmares ferulæ quatuor aut quinque faſciolis obvolutæ ſic circa fracturam ſecundum longitudinem aptentur, ut ſuperducta alia faſcia omnis impediatur motus. Hæ faſciæ non ſunt nimis arcte circumducendæ ne omnem vitalem humorum influxum inhibeant, quod ſine dubio gan-

gangræna exciperet. Neque nimis laxe ſunt adhibendæ, ne motum agglutinationem oſſium impedientem permittant. Hiſce omnibus ſic peractis, utile eſt membrum ita ponere, ut diu æger in eodem ſitu retineat, quod tantum obtinetur reponendo membrum in canalem chartaceum aut cylindris ligneis, vel ſtramineis linteis obvolutum confectum ſufficientis longitudinis, qui membrum excipiendo diuturnum ipſius ſitum a chirurgo inſtitutum commode retinere valeat.

§. 3. Repoſitionem optimam factam eſſe indicat remiſſa partis figura, juſta membri longitudo cum compare æquata, dolorisque ceſſatio. Poſt hujuſmodi operationem alendus eſt æger cibis farinaceis, leviter glutinoſis, juſculis ex carne vitulina paratis, fructibus horæis, & his ſimilibus. Ab his optimus conficitur chylus, qui pacato motu ductus in os fractum gelatinam reſtituit inter extrema ſeparata, quæ poſt menſem ita denſatur, ut in naturam oſſeam commutetur, cui in vitæ ſyſtema venienti nova *Id ipſum ſequitur.*

ac-

accedunt vaſa miro, inexplicabilique naturæ conſilio. Poſt operationem pluries in hebdomada inviſendus eſt æger, & infra ligaturam expianda eſt pars, quæ debet eſſe parum tumefacta, rubro perfuſa colore. Hoc indicat quandam preſſionem vaſa a ligatura recepiſſe, qua ſubſtineri poſſunt oſſa fracta. Si vero aut nullus tumor, aut tumor lividus nigerque infra ligaturam apparet, ſtatim faſciatio eſt renovanda. Nam in primo caſu parva aut nulla preſſio a faſcia producta oſſa comprimere, & in ſitu ſuo retinere non valet. In ſecundo multa compreſſio in vaſis circulationem ſuffocat, & gangrænam arceſſit. Ceterum quando optime procedit faſciatio, numquam, niſi poſt octo aut plures dies, eſt renovanda. Si cum fractura copulatur vulnus hoc eſt curandum methodo *primæ intentionis*, & ſi fruſtula oſſis ab vulnere prominent, quæ libera & ſeparata ab oſſe principi non ſunt, tunc in operatione rite collocari in ſitu debent, inde proſequenda eſt deligatio, quæ faſcia de-

decem & octo capitum dicta ſit. Hæc ſingulis vel alternis diebus pro diverſo ſymptomatum apparatu eſt renovanda. Si vero ſunt ſeparata debent ab vulnere educi, & reliqua operatio perficiatur modo nuper a nobis propoſito. Nam quod deficit ſupplet inimitabili ratione natura. Quod ſi acies oſſea prominet, quæ non libera eſt, & facile extirpari nequit, tunc lima vel forcipe eſt reſcindenda, inde reliqui eſt tentanda remiſſio. Si os penitus contritum eſt, & nullo modo repoſitio inſtitui poteſt, tunc ob metum venturæ gangrænæ, indeque mortis ægrotantis, ad membri amputationem cito faciendam cogitari debet. Quæ amputatio pariter inſtitui poteſt ſi fractura in articulationibus & potiſſimum in malleolis accidit. Diu enim experientia compertum eſt tabe confectos interire eos, quibus ob complicatam malleolorum fracturam amputatio nulla facta eſt. Tandem fracturæ accedentem inflammationem repetitæ ſanguinis miſſiones, remedia antiphlogiſtica & interne propinata, & par-

& parti inflammatæ adhibita feliciter curare ſolent. Dolorem ſupervenientem tollunt ipſa ſanguinis miſſio, remedia anodyna, levia narcotica &c. Si adeſt febris, quæ nec doloris, nec inflammationis ſymptoma eſt, tunc cogitandum eſt ipſam enatam ex cauſa eſſentiali debere curari per repetita eccoprotica, & ſalia inciſiva propinata, nec non per antifebrilia & potiſſimum per chinchinam non parva copia exhibitam. Convulſionem a fruſtulis oſſium nervos irritantibus factam ipſorum extractio, anodyna, & narcotica compeſcunt.

ARTICULUS II.

Fractura in ſpecie.

Quomodo naſi fractura curari debet.

§. 4. DIximus de cranii fracturis. Reliquorum oſſium fracturas breviter expendemus. Superior naſi pars duobus oſſibus conficitur. Hæc oſſicula a duro corpore percuſſa frangi poſſunt. Nec raro accidit ut tantum unum os frangatur, altero aut in-

integre relicto, aut tantum intropreſſo. Hujuſmodi fractura facile dignoſcitur dummodo abſit tumor, qui non raro fracturam ſequitur, & ipſa ab hoc tumore occultatur. Aut ſimplex, aut complicata fit naſi fractura ſemper repoſitio oſſium facienda eſt. Caput ægri firmiter teneri debet a miniſtro, dum a chirurgo elevatorium chalybeum lineo panno obvolutum accipitur, & intra nares immittitur hac ratione, ut fracta oſſa urgeantur, inque naturali remittantur ſitu. Pollice alterius manus ne ultra debitum urgeantur oſſa naſus comprimendus eſt. Poſt reductionem turundæ immittendæ ſunt ſpiritu vini madidæ. Inde externa naſi pars ſpleniis eodem ſpiritu imbutis cooperiri debet, & molli faſcia demum omnia ſunt cooperienda. Quando frangitur maxilla inferior, & oſſicula fracta ſeparantur, tunc neque dentes propriam ſervant harmoniam, neque exſtat naturalis faciei figura. Si vero fruſtula oſſea non ſunt invicem ſeparata crepitatio cognoſcitur urgendo inferius dentes anteriores,

dum eodem tempore ſurſum urgetur prope angulum maxilla. Fractura hujuſmodi aut fit a ſupra inferius, aut ad latera. In primo caſu ſufficit maxillam inferiorem ſuperiori appropinquare, ut reductio, & cura fracturæ fiat. In ſecundo dentes ita urgendi ſunt, ut quælibet fracti oſſis porportio in proprio remittatur ſitu. Si fruſtulum oſſeum fractum ſupra maxillam aſcendit, tunc extenſio & contraextenſio facienda eſt immiſſis manuum indicibus, quibus & portio contra apophyſim coronoidem, & portio verſus mentum urgenda eſt. Inde aliis digitis fieri debet opportuna reductio. Poſt reductionem plumaceolæ ſpiritu vini aromatico imbutæ applicandæ ſunt, & debita faſcia ad maxillam ſuperiorem aptari inferior maxilla debet. Interim æger neque loqui, neque ridere, neque manducare poteſt. Solis enim carnium juſculis ipſum enutriri convenit.

Coſtarum fractura. §. 5. Coſtæ frangi quoque poſſunt. Et fractura aut in una coſta, aut in pluribus accidere poteſt. Quando rumpi-

pitur coſta a cauſa exteriori, tunc caput fractum verſus pleuram dirigitur. Hæc fractura dicitur *interior*. Si vero rumpitur coſta a duabus cauſis reſiſtentibus ſimul, ut ſcilicet homo incidat ſuo pectore inter parietem & currum, tunc caput oſſis fractum exterius vergit, eaque fractura vocatur *exterior*. Cognoſcitur fractura hujuſmodi ſi reſtat profunda cavea, quando intra vertitur os, & fit extuberantia, quando os exterius vertitur. Comitantur hanc fructuram crepitus, ſpirandi difficultas, & dolor. Exteriori interior ſemper periculoſior eſt fractura ex ratione, qua & vaſa, & nervi, & pleura, & pulmones lædi poſſunt. Ex varietate coſtarum fracturæ variat modus oſſa fracta reducendi. Quando oſſa interius ducta ſunt oportet anteriorem partem verſus poſteriorem urgere tantum, quantum ſufficit, ut ruptæ coſtæ partes, extrorſum reſiliendo, in ſitum reducantur naturalem. Si vero exterior eſt fractura, oportet partes interius ita urgere ut accedant ad naturalem or-

ordinem reliquarum coſtarum. Quando interior coſtarum fractura contineri in proprio ſitu debet, oportet prope vertebras aptare magnas petias, & plumaceolas quadratas, quibus ſuperponenda eſt faſcia lata pectus undique circumambiens, arctanſque. In exteriori fractura plumaceolæ ſpiritu vini aromatico madidæ prope locum fractum ponendæ & faſcia retinendæ ſunt. Quando ſpirandi difficultas apparet, dolorque vexat, tunc diæta, repetita ſanguinis miſſione, remediis vulnerariis, diluentibus, & clyſteribus emollientibus tractandus eſt æger. Sternum ſuam quoque patitur fracturam, quæ ſemper eſt interior. Quando oſſis portio intra pectus ingreditur comprimit pulmones ipſumque cor citamque inducens mortem. Conſtringendum eſt pectus a dextera ad ſiniſtram partem, aut a ſiniſtra ad dexteram, ut quo fieri poſſit, urgeantur coſtarum cartilagines, & remittatur ad normam ſternum. Si reductio in hunc modum perfici nequit, tunc abſque dubio, urgentibus potiſ-

ſimum

ſimum ſymptomatibus, inciſura facienda eſt prope fracturam, & immiſſo *elevatorio*, remittendum eſt ſternum. Retinetur ſternum ſpleniis, & faſciis rite admotis. Innominata oſſa fracturam quoque habere poſſunt aut per ſclopeti ictum, aut per currum tranſeuntem ſupra ipſa oſſa. Fractura aut fit tranſverſe, aut oblique. Niſi adeſt partis tumefactio haud difficulter cognoſcitur fractura, ab figuræ deformitate, & oſſium crepitu. Non raro hanc fracturam excipiunt ventris dolores, ſingultus, vomitus, urinæ ſuppreſſiones, alvi ſilentium & his ſimilia. Si facile remittitur hujuſmodi fractura ægre admodum ſubſtinetur. Collocandus eſt æger in lecti ora, & ſupra pulvinaria latere fracturæ oppoſito, jaceat. Tunc manibus chirurgi facienda eſt reductio, quam factam ſubſtinebunt plurimæ adpoſitæ plumaceolæ ſpiritu vini madidæ, & faſcia quatuor digitis lata, & ſufficienter longa.

§. 6. Os ſcapulæ frangitur aut in corpore aut in ſuis apophyſibus. Quan- *Scapulæ fractura.*

 do

do rumpitur corpus, hujuſmodi ruptura eſſe ſolet tranſverſa, obliqua, & oblonga. Oblonga fractura apophyſim ſpinoſam tranſverſe frangit, a cujus ruptura os non multum ſeparatur. Subſtinet enim os lata ſpinæ ſuperficies. Si vero tranſverſa, aut obliqua fit fractura ob parvam oſſis craſſitiem, & ſuperficiem, vel quocumque levi muſculorum motu pars altera oſſis fracti fertur ſupra alteram. Ut plurimum poſterior pars ſupra anteriorem fertur. Cognoſcitur ſcapulæ fractura ex partis deformitate, motus brachii læſione, ac oſſium crepitu. Frequenter hanc fracturam excipit emphyſema, a quo difficilis ipſius fracturæ cognitio redditur. Ob multorum craſſorumque muſculorum præſentiam redditur quodammodo difficilis cura ſcapulæ fracturæ, potiſſimum ſi ſupra unam partem altera fertur. Ceterum facienda eſt repoſitio in hunc modum. Miniſter accipiat brachium reſpondens fracturæ & ſupra caput ægri extenſum ducat, atque in hunc ſitum per datum temporis

ris intervallum detineat. Interim chirurgus manuum digitis procuret oſſis fracti repoſitionem. Poſt hanc factam ſenſim ſenſimque brachium deſcendere debet dum chirurgus urgens ſemper ſcapulam ſupra coſtas firmas eam collocare debet. Plumaceolæ ſpiritu vini madidæ a ſpina ad uſque inferiorem ſcapulæ marginem poſitæ, petiæque & faſcia rite adhibita os jam collocatum retinebunt. Reponitur ruptum acromion brachii ſublevatione, & cubitus motu, quo brachium ſurſum urgetur, ut ſit tamquam vectis apta acromii ſublevationi faciendæ: quando brachium ſublevatur manuum digiti ſub acromio ducti ipſum procurent quoque ſublevare. Si aliquando proceſſus coracoideus fractionem patitur eodem pene modo tractandus eſt. Quando frangitur clavicula ſeparatio fractarum partium aut transverſa aut oblonga eſt. Alteram partem trahit inferius brachii pondus, alteram ſublevat muſculus cleidomaſtoideus. Poſt fracturam claviculæ brachium veluti in ſternum deſcenſurum

omnes ſuos motus perverſos & vitiatos habet. Cauſa quæcumque externa quando cum vehementia agit ut plurimum frangit claviculam tum quia parum a muſculis cooperitur, tum quia majori ratione ſubſtinet cauſæ impulſum ob ſitum, quem tenet, parallelum. Sedeat æger in cubili humili dum miniſter ponit genu inter duas ſcapulas ſupra ſpinam, & utraque manu ſcapulas apprehendit, quas æquali diſtenſione trahere retrorſum debet, interim pectus urget verſus anteriora. Sic extenſionem & contraextenſionem facit. Quando videt chirurgus factam extenſionem manuum digitis debet ad normam ponere fruſtula rupta. Poſt factam repoſitionem ſumenda eſt plumaceola cubiti medietatem æquans, & ſupra ſcapulam eſt collocanda. Inde accipienda eſt faſcia longa, quæ poſterius ita eſt collocanda ſupra plumaceolam, ut utramque ſcapulam amplexetur optime anteriori & tranſverſali poſitu contexta hac lege, ut caput brachii, acromion, & clavicula conſtringatur. Brachium in

in ſuſpenſorio poſitum debitum ſervare debet ſitum.

§. 7. Oſſium brachii, cubitus, manuſque extremæ fractura haud difficili modo & cognoſci, & curari ſolet. Legibus a nobis ſtatutis circa fracturæ curam generalem ſubjicienda eſt. Femoris aut in collo, aut in corpore, aut in ſua baſi fractura ob figuræ deformitatem, ob crepitum in fruſtulorum oſſium alliſionem auditum, ob dolorem, motus impotentiam, aliaque accidentia hujuſmodi fracturam comitantia cognoſcitur, & eadem methodo curari debet. Rotula ſuam quoque patitur fracturam, quæ abſque ictu, percuſſione, aliave cauſa vehementi rumpi quoque ſolet, & ruptura fit ſequenti modo. Dum corpus incumbit genu muſculi extenſores contrahuntur, ut ponderi corporis reſiſtant, ideoque rotula ſurſum retinetur. Eodem tempore inferius fertur per ligamentum, quo tibiæ adligatur. Hiſce viribus antagoniſtis diſtrahitur tantum rotula, ut in quadam debili parte rumpi & frangi poſſit. Quando ſic fran-

Brachii, cubitus manuſque extremæ fractura.

frangitur pars altera ſurſum verſus femur, altera verſus tibiam fertur. Superioribus menſibus vidi amicum quadragenario majorem choræam facientem, qui in levi ſtrato domus ob falſum gradum inventum diſſiliit, & emiſit machinæ æquilibrium, & jam jam in terram prolapſurus voluit omnibus viribus articuli dextri ſe erectum ſubſtinere. In tanta muſculorum diſtractione rotula rupta eſt bifariam, & una pars ſurſum, altera oſſis pars deorſum ducta eſt. Frequenter hujuſmodi rotulæ ruptura accidere ſolet ex falſo inceſſu, inæqualique machinæ ſitu, quæ ruptura ſemper tranſverſa eſt. Solo tactu hæc dignoſcitur, & ſolet curari adhibitis ſpleniis, faſciiſq. potiſſimum admoto fruſtulo ſemilunari ab exſiccato animalium corio confecto, quo ſubſtinetur, & firmatur repoſitio fruſtulorum rotulæ. Alii ſuadent poſt firmatum repoſitumque in debita extenſione articulum, admotis emollientibus ſupra muſculos contractos obtineri, ut ſenſim ſenſimque relaxatis muſculis utraque rotulæ extremi-

mitas invicem accedat, fiatque oſſis, intermedio glutine, conjunctio. Id ſemper verum obſervatur in ea rupturæ rotulæ ſpecie, quæ fit ex ratione nuper a nobis memorata. Cruris oſſa, uti tibia, fibulaque ex conſuetis cauſis frangi ſolent, eorumque fractura & facile cognoſcitur, & curatur communi methodo pluries indicata. Extremi pedis oſſium fractura non multa indigent induſtria, ut & cognoſcatur & curetur. Permulta hac de re, eaque elaboratiſſima ſcire cupientes conſulite ſemper laudatum Petitum, Heiſterum, & Bertrandium. Hæc de univerſa chirurgiæ theoreticæ doctrina in veſtrum commodum adoleſcentes dicta ſint ſatis. Valete.

F I N I S.

INDEX

PRÆLOQUIUM. Pag. 5

CHIRURGIÆ THEORETICÆ

SECTIO I.

ARTICULUS I.

Tumores generatim accepti. 7

ARTICULUS II.

Inflammatio. 12

ARTICULUS III.

Eryſipelata. 39

ARTICULUS IV.

Gangræna. Abſceſſus. 59

ARTICULUS V.

Phlegmo. Phyma. Anthrax. 80

AR-

ARTICULUS VI.

Aneuryſma. Varix. 87

ARTICULUS VII.

Œdema. Articulorum hydrops. Hydrocele. 95

ARTICULUS VIII.

Scirrhus. Struma. 107

ARTICULUS IX.

Polypus. Condyloma. Verruca. 120

ARTICULUS X.

Tumores Oſſium. 132

ARTICULUS XI.

Herniæ. 143

CHI-

CHIRURGIÆ THEORETICÆ

SECTIO II.

ARTICULUS I.

Vulnera generatim accepta. 151

ARTICULUS II.

Vulnera per Sclopetum inflicta. 174

ARTICULUS III.

Vulnera venenata. 182

ARTICULUS IV.

Capitis Vulnera. 186

ARTICULUS V.

Vulnera Pectoris. 197

ARTICULUS VI.

Abdominis vulnera. 206

CHIRURGIÆ THEORETICÆ

SECTIO III.

ARTICULUS I.

Ulcus in genere. 215

ARTICULUS II.

Fiſtula. 228

ARTICULUS III.

Combuſtio. 234

CHIRURGIÆ THEORETICÆ

SECTIO IV.

ARTICULUS I.

Luxatio in genere ſumpta. 242

ARTICULUS II.

Luxationes Peculiares. 253

CHIRURGIÆ THEORETICÆ

SECTIO V.

ARTICULUS I.

Fractura in genere. 264

ARTICULUS II.

Fractura in ſpecie. 272

10
30
B14